



2
6
495







CATALOGVS OMNIVM EPISCOPORVM MVTINENSIVM,

Quorum nomina magna adhibita diligentia reperiri potuerunt,

Collectus per Illustriss. & Reuerendiss. D. D. GASPAREM SILLINGARDVM Mutinensem eiusdem Ciuitatis Episcopum.

Cui additæ sunt etiam præcipuæ Episcoporum functiones;

CVM INDICE ALPHABETICO RERVM NOTABILIVM.



MVTINAE, MDCVI.

Ex Officina Episcopali, Apud Ioannem Mariam de Verdis.

APPROBATIO.

Tractatum hunc, cui est titulus *Catalogus omnium Episcoporum Mutinensium*, Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Gasparis Sillingardi Episcopi Mutinensis recognoscere iussus ab Admodū Reuerendo Patre Fratre Archangelo Calbetto de Recaneto, Sacræ Theologiæ Magistro, ac Inquisitore Generali Mutinæ, accurate perlegi, nihilque inueni Sanctæ Romanæ Fidei, aut Reipublicæ Christianæ contrarium, ideo dignus est, vt prælo mandetur.

Frater Io. Dominicus Saliceus de Patauio Sacræ Theologiæ Lector, & Vicarius Generalis Sancti Officij Mutinæ.

Visa approbatione suprascripta concedo quod imprimatur.

Ego Frater Archangelus Calbettus de Recaneti Magister, & Inquisitor Mutinæ.

G A S P A R

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Mutinenſis, Clero, & Populo Mutinenſi Salutem in eo, qui eſt vera ſalus.

QVANTAM adhibuerint diligentiam, ac ſolicitudinem Patres noſtri, ne memoria eorum, quæ per viros præſtantes, pietateq;, ac doctrina celebres præclare geſta ſunt, deperiret, apertè declarant illa Clementis, Antheri, ac Fabiani Summorum Pontificum ſancta decreta, quibus illi fideles Notarios tam accurate ſtatuerunt, qui ſolicita perquiſitione martyrum geſta inueſtigarent, conquiſitaq;, & inuenta diligenter, ac veraciter deſcriberent, ſicq; deſcripta alijs ſtatutis perſonis examinanda conſignarent, ne aliqua in eis (vt Fabianus inquit) illuſio inueniretur, ex qua fidelibus ſcandalum oriri poßet, quæ tandem ita ſolerter examinata inter Eccleſiaſtica monumenta reconderentur, fidelibusq; legenda traderentur, vt eorum memoria futuris temporibus in

ſancta Dei Eccleſia illibata permaneret, perpetuoq; conſeruaretur, eisq; quaſi quibuſdam ſtimulis, & calcaribus excitati Fideles ad pietatem, cæteraq; Chriſtianæ religionis officia, quæ in eis viguiſſe cernerent, eo ſtudioſius inflammaretur; conſiderabant enim viri illi omni pietate inſignes, plurimum prodeſſe ad excitandam in poſteris virtutum æmulationem, ſi procerum geſta, tanquam in ſpeculo ante oculos eorum ponerent, quos paris virtutis imitatores eſſe peroptabant, nullum enim ignorare credimus, validiora ad excitandam imitationem eſſe exempla, quam verba, & plenius opere doceri, quam voce, ad amoremq; Dei, & proximi, quæ eſt plena charitas, plerumq; corda audientium plus exemplis, quam vocibus moueri, & excitari. Quæ omnia licet in vniuerſum de memoria procerum quorumcumq; vbiq; conſeruanda vera eſſe nemo ſit, qui dubitet, præcipuam tamen, & ſpecialem curam à nobis adhibendam eſſe eorum mores, & geſta ante oculos poſterorum ponere, qui apud nos vitam penè cœleſtem degerunt, nobisq; bene viuendi normam tradiderunt, nullus inficias erit; familiaria enim, & domeſtica exempla plurimum roboris ad commouendos ad pietatem animos noſtros habere ſatis compertum,

pertum,

pertum, ac perspicuum est; sic enim prisci illi Romani solo humanæ prudentiæ lumine ducti statuas, ac imagines suorum maiorum, qui virtuose vixerant, præclareq; se gesserant, in eorum domibus erigere consueuerunt, vt posteri, ac descendentes continue, quasi in speculo eorum virtutem inspicientes se eorum moribus, & gestis conformare niterentur. At quanto ardentiori pietatis studio decet nos, qui non solum naturali lumine, sed Christiana luce perfundimur, eorum memoriam perennem conseruare, qui nos in Christiana religione, nedum doctrina sua instruxerunt, sed etiam ad cœleste Regnum beneuiuendo nobis viam demonstrarunt? Et certe, ni fallor, nulla commodior, aptiorq; ratio iudicio meo inueniri potest, vt, ad capescendas virtutes fidelium pectora accendantur, quam si viuis, vt ita dicam, coloribus eorum vita, & mores exprimantur, qui nobis Duces, ac Pastores à Deo dati sunt. Hi vero præcipue sunt singularum Ciuitatum Præsules, qui tanquam Dei homines in eis constituti summopere laborarunt ad dirigendos fideles in viam pacis; deberet igitur vnaquæq; Ciuitas suorum Præsulum nedum memoriam conseruare, sed omni etiam studio procurare, vt ex ipsis Præsulum gestis iusta aliqua

habere-

haberetur historiæ collectio, quam Ciues frequenter perlegentes, quasi quibusdam stimulis vrgerentur ad ambulandam arctam fidei, & bonorum operum viam, quæ ducit ad vitam, & quam ipsi viuentes ambulauerunt, nobisq; propterea exempla eos imitandi reliquerunt; sed magnopere dolendum est, tantam in retroactis temporibus viguisse in partibus nostris negligentiam, & ad nostra vsque tempora peruenisse, quod nullus ferè Episcoporum (quos præcipuè negotium istud tangit) curauerit suæ Ecclesiæ Pastorum nedum mores, & vitam, sed nec etiam nomina ad posteros transmittere, quo factum est, vt plurimorum memoria cum magna Ecclesiarum iactura perierit. Fœlices certe appellandæ sunt Ecclesiæ illæ, quarum Præsules exactam adhibuerunt curam, ne præcessorum suorum memoria deperiret, inter has præcipuè connumerandæ sunt Ecclesia Bononiensis, & Veronensis, quarum Illustrissimi Præsules Gabriel Palæotus, & Augustinus Valerius amplissimi Cardinales mira eruditione suorum antecessorum gesta, & mores literis commendarunt, posterisq; legenda tradiderunt, egregiam certe, ac viris eruditis dignã hac in re operam nauantes; horum sanctæ Ecclesiæ luminum excitatus, & diuinæ spei fiducia roboratus

ego in-

ego infœlix peccator existimaui me operę præcium facturum, si quod ego, præpedientibus peccatis meis, præstare nequeo, saltem præcessorum meorum, quorum ego indignus successor sum, gesta, quæ inuenire potui, referendo vobis ostendam, qua illi via incesserint, vt eadem vos incedentes eo peruenire valeatis, quò illos credimus fœliciter peruenisse. Hunc libenter suffragante Domino pro vobis suscepi laborem, magnaq; diligentia perquisiui, & annotaui quæcunq; inuenire potui, tam ex monumentis Bibliothecæ nostræ Cathedralis, quàm ex alijs publicis, & priuatis documentis eiusdem Ecclesiæ, & Episcopatus, & etiam ex historijs tam sacris, quam profanis, quæ certa sunt, collegi, incerta dimisi; & si quando propter temporis antiquitatem aliquid non ita certum apposui, id etiam expresse annotaui, nolens incerta pro certis affirmare. Scitote autem hoc meum fuisse consilium, vt omnium Mutinensium Præsulum, quorum notitia magno adhibito labore, ac peruigili diligentia haberi potuit, per breuem Catalogum vobis compilarem, sperans, aliquando futurum, vt alij ex breuitate nostra occasionem capiant pleniori narratione pertractandi ea, quæ à nobis breuiter, & aliquandò minus plene tractata reperiuntur.

Accipite

Accipite igitur munus hoc, qualecunq; sit, & cogitate frequenter, hos fuisse Patres, ac Pastores nostros, qui nobis bene viuendo sanctæ conuersationis exempla reliquerunt, vt eorum vestigia sequentes ad cœlestia gaudia peruenire, illisq; in æterna beatitudine fœliciter consociari mereamur, quod vobis, & mihi concedat Dominus noster Iesus Christus, qui sine fine viuit, & regnat. Amen.

CATALOGVS EPISCOPORVM MVTINENSIVM

CLETVS.

103 CLETVS primus Mutinenſis Epiſcopus natione Romanus. Hic fuit poſtulatus in Epiſcopum a Populo Mutinenſi nuper ad fidem Chriſtianam conuerſo opera, & prædicatione Dionyſij Areopagitæ Athenienſis, & ſociorum eius, qui anno decimo Imperij Domitiani, & primo Pontificatus Clemẽtis primi, qui fuit annus ſalutis nonageſimus tertius Mutinæ primi verbum Dei prædicauerunt, ijq; Cletum Epiſcopum ibi reliquerunt, qui Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit anno ſalutis 103. anno quarto Imperij Traiani, & primo Anacleti Pontificis: hæc colliguntur ex Chronico Franciſci Panini multæ eruditionis viri. Fuit hic Cletus vir doctrina, & ſanctitate vitæ percelebris. Hoc tempore Populus Mutinenſis ad fidem Chriſtianam conuerſus dedicari curauit Templum Principi Apoſtolorum, quod ad hæc vſq; tempora dicitur Templum Diui Petri, quod prius erat Ioui dicatum, vt idem Paninus aßerit. Non deſunt tamen, qui dicant, non Dionyſium Areopagitam primum in his partibus verbũ Domini, & Euangelium prędicaße, ſed Barnabã Chriſti diſcipulum. Nicephorus enim libro hiſtoriarum ſuarum ſecundo, capite decimo nono aßerit anno ab orbe redempto quinquageſimo, ipſum Barnabam primum omnium fidei ſeminaieciſſe in Gallia Ciſalpina, conſtitutũq; fuiſſe Mediolani Epiſcopum, ab eoq; Chriſti cultũ noſtris inditum fuiße affirmãt. Alij vero credunt Apollinarẽ Petri Diſcipulum, ab eoq; Eccleſiæ Rauennati pręfectum peragrata Æmilia Mutinæ prima fidei ſemina ieciße, quibus poſtea coaleſcẽtibus Chriſtianorum nomen in ea increbuiſſe; Sed quiſquis ille fuerit vitio temporum incertus, clarum eſt Ciuitatem primis illis temporibus Chriſtianam ſuſcepiſſe religionem, ad illamq; tanquam ad Ciuitatem refugij Chriſtianos confugere conſueuiße, illiuſq; rei id non leue eſt argumentum, quod in Placentinis monumẽtis aßeritur, videlicet, quod ſæuiente Diocletiani, & Maximiani Imperatorum perſecutione in Eccleſiam, Chriſtiani omnes a Mutina conquiſiti Pla-

centiam trahebantur, vbi securi percutiebantur, extantq; adhuc in Ecclesia Beatæ Mariæ de Campania illius Vrbis putei vistigia, in quo sanctorum martyrum corpora proijciebantur, quę proprijs vidi oculis, dum ibi vices agerem Præsulis Placentini. Quare verisimile est Ciuitatem suos ab initio habuiße Præsules, qui eius Populũ in fide erudirent, & confirmarent, licet iniuria tẽporũ eorũ nomina ignorentur, neq; vero quicquã horũ asseueranter affirmo, quippè qui nullum exactæ memoriæ certum testimonium habeam; sunt enim hæc tẽpora adeo tenebris vetustatis offusa, vt linceus planè sit, qui in tanta nocte lucis aliquid agnoscere possit. Ab hoc tempore vsq; ad annum tercentesimum trigesimum nonum nullius Pręsulis Mutinensis habetur mentio aliquo in loco, quod sciam, vel quia, ut ait Sigonius de Imperio Occidentali, res hoc tempore gestæ ita sunt obscuræ, vt nihil certi conijci possit, vel quia in tantis Ecclesiæ persecutionibus, quæ his temporibus surrexerunt, nullum habuerit Ecclesia Mutinensis Episcopum, vt permultæ aliæ, cum omnes pij, & Christianam religionem profitentes delitescere tunc cogerentur, donec euecto ad Imperium Constantino Magno, anno salutis tercentesimo duodecimo, ac nece Maxẽtij Tyrãni pace Italiæ reddita, cum iam omnibus Christũ colere lege præscripta liberum eßet, tunc fortè Mutina, sicut aliæ Ciuitates vicinę, sibi Episcopum cooptauit, quod tamen pro vero affirmari non potest. Illud etiam verisimile est, quod postea Mutina caruerit Episcopo sub Constantio Constantini Magni filio, qui Arianæ hæresi impensius fauebat, ac etiam sub Iuliano apostata duodecimã persecutionem in Christianos exercente, tunc .n. iterum afflicta fuit Ecclesia, introductaq; idolorum cultura, quæ postea Mutinæ per Geminianũ sublata fuit, vt in ipsius vita dicemus: hoc .n. tempore vniuersa Ecclesia fuga, pauore, plãctuq; referta innumeros homines præcæteris Christum constantissime confitẽtes ad Cælũ transmisit, pręsertim vero sacros Vrbium Antistites, cõtra quos præcipuè illo tempore impia crudelissimorum Tyrannorum persecutio efferbuit. Sunt etiam aliqui, qui suspica[...]r, quod cũ Ciuitas Bononiensis de anno ducentesimo Septuagesimo coeperit habere Episcopum, qui primus fuit Sanctus Zama ordinatus a Sancto Dionysio Pontifice Maximo, ad illamq; Vrbẽ directus, fieri etiam potuerit, vt Mutina Vrbs vetustissima, atq; nobilissima ab eodem Pontifice Episcopali dignitate decorata fuerit. Opinantur alij, quod de anno tercentesimo duodecimo Mutina primum receperit Episcopũ, quo tẽpore Constantinus Maxentio Tyranno deleto Italiã, ac Romã in suã potestatẽ adduxit, ac Christianus effectus lucẽ tandẽ optatissimæ pacis Ecclesiæ attulit, qui, ut summa erat pietate ornatus, nõ solum sacras Deo ędificari Basilicas permisit, multasq, ipse diuersis in locis extruxit, sed etiã magno in honore ipsos Basilicarũ Antistites habuit: quare, ut reliquæ Ciuitates, sic Mutina quoq; sæua persecutionis tẽpestate sublata Episcopũ sibi verisimiliter eligere potuit, pręsertim

vero,

vero, quia Cōstantinus ipse Mutinam venit, quam ex ruinis per eum antea eidem Vrbi factis resarciuit, cui aduenienti Mutinenses columnā posuere, quæ adhuc extat in suburbijs Mutinæ propè Ecclesiam Diui Faustini, de qua dicemus in vita Antonij Episcopi. Has de origine Episcoporum Mutinę diuersas opiniones recensere volui, quæ licet habeant verisimilitudinis speciem, nihil tamen certi de illis affirmari potest.

DIONYSIVS.

339 IN *quodam Chronico perantiquo rerū Mutinensium apparet, quod de anno* 339. *quidam nomine* Dionysius *erat Episcopus Mutinæ, quem in confirmando Populo in fide Catholica multū laborasse, aliasq; Episcopales functiones sedulò, ac multa cum pietate exercuisse ferunt. His temporibus Athanasius grauē persecutionem perpessus est ab Eusebianis hęreticis, quam tamen ipse vicit, conuictis hæreticis de mendacio, & impostura, & per Iulium Papam fuit Ecclesiæ suæ restitutus. Ipse vero* Dionysius *plenus dierum ætatis suæ anno septuagesimo migrauit aa Dominum.*

ANTONIVS.

358 S*Atis constat, anno salutis tercentesimo quinquagesimo octauo Antonium fuisse Episcopum Mutinæ, qui diaconum ordinauit Geminianū, cui postea in Episcopatu successit, ipseq; Geminianus sic lateri Antonij Episcopi adhærebat, quemadmodū Laurentius Xysto Pontifici adhærere consueuit, vnde facile conijcere possumus, ipsum Antonium fuisse miræ sanctitatis virum, cui iuuenis Geminianus iam a teneris* Deo *deuotus sic adhærebat. Eodem anno hoc sedente Episcopo obijt sanctus ille toto orbe conspicuus Antonius Magnus sexto Cal. Februarij, cum iam quintū supra cētesimū vixisset annū. Hic Episcopus verisimiliter inter quadringentos Episcopos occidētalis Ecclesiæ Ariminensi Concilio interesse potuit anno tercentesimo quinquagesimo nono, qui ab Arianis decepti sunt, sicut de* Beato Basilio *Episcopo* Bononiensi *ait* Sigonius. *Circa Concilium istud Ariminense sciendum est, quod licet in noua fidei regula conficienda cōsubstantialitatis, & substantiæ nomine prætermisso (quod statutum fuit firmissimum munimentū aduersus Arianos) visum fuerit quodammodo Arianis fauere, tamen cum in dicto Concilio fidei Syrmiana professio omnium sentētijs fuerit explosa, & Nicena confessio stabilita, Arianiq; omnium sententia condemnati, quibus absolutis, quorum causa vocati erant, Concilium pariter ipsum perfectum fuit, atq; hucusq; ab omnibus recipiendum, & probandū videtur*

tur. Quæ vero post multos interlapsos menses illata vi legatis Apostolicis ab Episcopis Arimini quasi in carcere inclusis, & Arianorum fraude deceptis acta sunt, a legitimo Ariminensi Cōcilio a Patribus iure discreta fuerunt, atq; reputata nomine Concilij indigna, vt Athanasius ait ad Africanos, & Ambrosius, qui ait merito se illud exhorrere, ipseq; Romanus Pontifex Liberius agnoscens lapsum, & deceptionem Arianorum noluit se his actis subscribere; magnaq; fuit Catholicorum Episcoporum tūc persecutio, perpauciq; orthodoxi Episcopi post multum naufragium, quod passa est fides Catholica in dicto Ariminensi Conuentu, vt seorsum ab Arianis sacra facerent, Vicū petierunt inter Ariminum, & Pisaurum, quò pergētes se ire ad Catholicam vsitato vetere loquendi modo dicebant, quo factum est, quod locus ille nomen retinuerit, & Catholica diceretur, vt constat ex antiqua traditione. Satis vero constat Episcopum hunc illa ætate floruisse, quę ingentem numerum Episcoporum virtute, ac sanctitate præstantium effudit, quiq; pleni auctoritatis, & gratiæ Episcopi dignitatem implebāt, vt de Beato Martino Turonensi Episcopo ait Seuerus Sulpitius. Et licet, vt diximus supra, vsq; ad hæc tempora nullius Episcopi Mutinensis memoriam certam habeamus, tamen, vt dixi supra in vita Cleti, multū verisimile fit, quod saltem circa annum salutis tercentesimū duodecimum Mutina suum habuerit Episcopum, quando videlicet Constantinus Magnus Imperator cum e Gallia redijsset, euersa, ac penè diruta Ciuitate Mutinæ, (sicut post aliquot annos testatur Ambrosius scribens ad Faustinum) quæ ei vna cum Placentia, Parma, Regio, Bononia, ac Claterna restiterat, nec eum admittere voluerat, postea rediens Roma, vt Mediolanum adiret, perlustrauit AEmiliæ, Liguriæ, Venetiæq; Ciuitates, quas superiore bello afflictas vastauerat, easq; aduentu suo restaurare decreuit, vnde dicebat Nazarius, pretereo te Mutina, & Aquileia, cæterasq; regiones, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit oppugnationis iniuria, ex quibus facile credi potest, ipsum Constantinum Ciuitatem a se prius dirutam restaurasse, eamq; tunc Episcopum suum habuisse. Vnde Mutinenses eidem Constantino ad ipsos accedenti testificandi animi sui causa Columnam erexerunt, quę adhuc visitur prope Suburbanam Sācti Faustini Ecclesiā cum hac inscriptione. Imp. Cæs. Fl. Constantino Maximo Victori semper Augusto D. Constat Filio Bono. R. P. nato. Quod etiam alias Ciuitates fecisse constat, per quas ille transibat, nam, & ipsæ eidem Cruces erexerunt; quod tamen multi factum credunt ad exemplum ipsius Constantini, qui in vrbe Roma Columnis excitatis, titulisq, inscriptis salutaris signi virtutem omnibus indicauit, ac media in Vrbe ingens Crucis trophæum aduersus hostes erexit, idq; Romanorum, aliorumq; omnium ipsius Imperio subiectorum propugnaculum esse declarauit, quapropter multum videtur verisimile, illis temporibus dum tanta Principis pietas fulgebat, Mutinam Episcopo non caruisse, quis vero ille fuerit adhuc minime constat.

GEMI-

GEMINIANVS.

363

COnſcripturus, fratres Cariſſimi, Sanctiſſimi Patris, ac Præſulis noſtri præcla ra facinora, narraturusq; ſingularia beneficia, quæ non ſolum Ciuitas noſtra, cuius ille eſt peculiaris Patronus, ſed etiam exteræ nationes ab illius patrocinio, ac interceſſione ſuſtepcrũt, ſcio me ignarum pœnitus fluctuũ, incautumq; nautam vaſtum, ac ſcopuloſum pellagus præternauigare velle, reiq; magnitudo me valde ſuſpenſum reddit, imbecillitatemq; meam ſummopere deterret, quis enim digne labores, quos Paſtor noſter tam libenter pro ſibi commiſſo grege perpeſſus eſt, valeat celebrare? quis pugnas, & colluctationes ipſius, quas frequentiſsimas cũ humani generis hoſte habuit plene numerare queat? certe de hoc præclariſsimo Antiſtite illud meritò dici põt, quod de ſancto Euſebio Vercellenſi Epiſcopo Maximus Epiſcopus dixit, nempè quod ad tanti viri laudes addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt; ſcio tamen non eſſe liberum Epiſcopo illius hæredi licet indigno debitum populo in hoc ſubtrahere ſermonis officium; licet enim tantis rebus enarrandis ſe imparẽ agnoſcat, gaudeat tamen, quod à magnitudine rerũ vincatur, & de Theſauro ſuo illud depromere nõ dubitet, quod ſpiritus ſanctus illi ſuggerere dignatus fuerit. Agamus igitur Fratres primũ gratias omnipotenti Deo, qui Ciuitatẽ noſtrã tanto viro decorare voluerit, & quod ſermonibus in laudem ipſius exponere non valemus, operibus ſanctis eum imitando comprobare ſtudeamus. Dicamus igitur, quod poſt paſſionem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, poſt ſanctam illius à mortuis Reſurrectionem, poſt glorioſam eiuſdem in Cælos Aſcenſionem, & poſt apoſtolorum in diuerſas mundi partes prædicationem ſecundum Domini præceptum, qui illis mandauit dicens, Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturę, & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, dum fides Catholica vbiq; diffunderetur, & ſonus Apoſtolorum, ac Diſcipulorum in omnem terram exiret, multi tunc per martirium huic fidei teſtimonium perhibentes coronati ad Regna Cælorum triumphantes peruenerunt, nonnulli etiam abſque corporali martirio perfidem, & charitatem Chriſtum Dominum confitẽtes ſine perſecutionis certamine, aut pænarum crudelitate iuſte, ac digne vitam ducentes de hoc ærumnoſo ſæculo poſt vitę curſum glorioſe conſumatum cum gloria ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ fęlices fæliciter peruenerunt. Nullum enim eſſe putamus, qui ignoret duo eſſe martirij genera, alterum à perſecutoribus illatum, alterum vero in pace quæſitum, & ſiue per hoc, ſiue per illud quis in recta fide in præſenti vita conſtanter permanens curſum vitæ ſuæ conſumauerit, ille in Domino beatus erit, coronamq; immarceſcibilem

lem in Cæleſtibus Regnis à bonorum omnium lagitore liberaliſſime percipiet, ſcriptum eſt enim, beati mortui, qui in domino moriuntur, & alibi precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Inter multos autem Dei famulos, qui illis priſcis temporibus ad exemplum fidelium vitam Cæleſtem in hoc mundo duxerunt, ſignis, & miraculis corruſcantes maximè enituit Beatiſſimus Chriſti Confeſſor, ac Conciuis noſter Geminianus Epiſcopus Mutinenſis, cuius vitam conſcribendam ſumpſimus. Hic igitur mortuo Antonio, cum Mutinenſes de Epiſcopo deligendo inter ſe conſilium haberent, quærentes, quiſnam digne in Antonij prædefuncti locum ſufficeretur, omnes vno ore acclamarunt, Geminianum Antonio ſufficiendum eße. Is ex Vico Mutinẽſi, cui Gauellus nomen, ex familia de Raſcharinis nuper extincta, & honeſtis parentibus ortus, vitam ab ineunte ætate penè Cæleſtem agens omnium virtutum, præcipue vero Chriſtianæ religionis ſplendore enituit, diſciplinisq; diuinis apprime eruditus in omnib. Chriſtianæ pietatis operibus tanto animi ſtudio ſe exercuit, ut omnium animos in ſui amorem, & admirationem conuerteret. Adoleſcens diſtributo pauperibus patrimonio voluntariam, ac Chriſtianam paupertatem terrenis diuitijs prętulit, ſacriſq; inſtitutionibus egregiam nauauit operam, quapropter in clericorum numerum cooptatus, & per ſingulos ſacrorum miſteriorum gradus prouectus, tandem ab ipſo Antonio Diaconus factus eſt, quem vti Patrem ſemper coluit, illiq; dum vixit, tanquam alter Laurentius Pontifici Sixto, ad hæſit. Cum igitur Geminianus Populi ipſum Epiſcopum depoſcentis deliberationem audiſſet, tanto munere ſe indignum profeßus, ſtatim ab Vrbe aufugit, delituitq; in quibuſdam nemoribus vulgo dictis Boſchi di Cadiana, ſic fortè ap pellatis, quia ibi eßet domus, vel Templum Dianæ, vbi etiam nunc plura antiquitatum veſtigia reperiuntur. Quæſitus diù, ac tandem inuentus, precibuſq; populi acquieſcens onus Epiſcopatus ſuſcepit, conſecratusq; cõmißum ſibi gregem verbo doctrinæ, vitęq, ſanctitatis exemplo gubernauit, illudq; in primis poſt ſuſceptam paſtoralis officij ſolicitudinem curauit, ut Ciuitatem Idolorum fanis, quæ adhuc ſupererant, expurgaret, illamq; Chriſto D. N. ſancte, religioſeq; conſecraret. Quare in antiquo illius hymno ſic canitur. Normam geſſit Apoſtoli, coli Chriſtum ſic inquiens, cultumq; ſtrauit Idoli, verbum ſupernum prodiens. Ipſe etiam proprijs manibus conſecrauit Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ambiliano, quæ poſtmodum multis aucta bonis à Benedicto Epiſcopo Mutinenſi Cœnobio Diui Petri donata fuit. Factus Epiſcopus perſeuerauit eſſe, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, & in ueſtitu modeſtia, ſciebat enim ad ipſum, tanquam Chriſti miniſtrũ præcipuè pertinere illa domini verba, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; ſola erat Cellula contentus, cõtinentia, & in pauperes liberalitate erat inſignis, in oratione frequenter pernoctabat, & cũ quadam nocte in D. Petri æde ad orationem ſtaret, apparuit ei humani generis

hoſtis

hostis, vt illum tentationibus suis impeteret, ille vero spiritu sancto plenus ele uatis oculis, vt eum agnouit, statim signo crucis fugauit, quo facto excandescēs Dæmon, diraq; viro Dei minatus ad Palatiū Iouiniani Principis accessit, ibiq; ipsius Principis filiam vnicam obsedit, eamq; crudeliter vexabat, & cū ipsius puellę parentes summopere de illius vexatione soliciti nihil intentatum relinquerent, vt filiam a tanto cruciatu liberarent, cumq; omnia incassum fierent, tandem ipse Dæmon per os puellæ cœpit clamare, dicens, frustra laboratis, omnis ars, & industria vestra vana, ac frustatoria est, hinc non egrediar, nisi ad Imperium Geminiani Episcopi, quo audito, parentes cum nescirent, quisnam esset Geminianus iste per Dæmonem nominatus, omnem curam, & diligentiam per ministros suos adhibuerunt, vt reperiretur, qui tandem repertus Christiana fuit charitate compulsus ad longum, ac arduum maritimum iter arripiendum, in quo repente exorta tempestas mox viri Dei oratione sedata est, tandemq; ad Aulam ipsius Principis peruenit, a quo benigne, liberaliterq; summo cum gaudio exceptus fuit, ipsiusq; filiam a cacodęmone liberauit, & quandiù ibi fuit, plures à varijs languoribus implorato Christi Dei, ac indiuiduę Trinitatis nomine sanauit. Postremo volens ad propria remeare de salute suorum admodum solicitus petita à Principe venia, varijsq; ac preciosis muneribus ab ipso auctus Mutinam redijt, Ciuibus optato Pastoris reditu summopere gratulantibus. Et cū tunc tēporis Cisalpina Gallia eßet Ariana labe infecta opera Auxentij Mediolanensis Præsulis, qui Arianis adhęrebat, ipse tunc maxime in id incubuit, ut suos in recta Catholica fide confirmaret, Christianamq; religionem sublato Idolorum cultu propagaret, egregij Præsulis munia vigilantissime implens.

Cūq; in AEmilia, & Liguria orta eßet noua hæresis Arianorum, qui temere sacrarū Virginum cōnubia inducebant, aduersus illam Diuus Ambrosius Mediolani Synodum habuit, in qua dicta hęresis damnata fuit, dictæq; Synodo subscripsere infrascripti Episcopi, videlicet ego Euentius Episc. Maximus Episc. Felix Epi. Bassianus Episc. Theodolus Episc. ex iussu Geminiani Episc. ipso præsente Aper presbyter, Eustasius Epis. & Constantius Episc. Et cū postmodū Syricius Pōtifex certior factus fuisset, nouā hāc hæresim in partibus illis exortam fuiße, protinus illā facto decreto damnauit, auctoresq; eius homines Arianos eße notauit; quibus actis, ad Ecclesiam Mediolanensem scripsit, se damnaße Iouinianum, Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Prontinum, Marcianum, Ianuarium, & Ingeniosum, qui sacras Virgines coniugio sociari iubebant. Nos inquit nuptias non aspernanter accipimus, sed virginum Deo deuotarum nuptias maiori honorificentia veneramur: ad quē Ambrosius, alijq; rescripsere Episcopi, se itē hæresim illam, illiusq; auctores hæreticos repudiaße. Illud etiam non ommittendum duximus, quod cum Diuus Ambrosius de anno tercentesimo octuagesimo primo rabiem declinans Eugenij Impij Tyranni Bo-

noniam venerit, ibiq; diuina reuelatione monitus Corpora sanctorum martirũ Vitalis, & Agricolæ inuenerit, Mutina transiens, quam cum Oppidis vicinis se vidisse semidirutam ad Faustinum scribit, multum nobis fit verisimile, quod Mutinæ aliquam moram traxerit cum Geminiano eius tunc Suffraganeo, & cũ quo magna intercedebat familiaritas; cuius rei tamen nullum nisi verisimilitudinis testimonium habemus. Percrebrescente vero in dies fama sanctitatis huius famuli Dei ad eius Cellulam concurrebat magna hominum multitudo, quæ, & hominem intueri, & ab eo salutis monita audire cupiebat; ipse vero omnes in lege Dei, & sancti Euangelij doctrina instruebat, eisq; signo crucis benedicebat, infirmosq; grauissimis morbis solo contactu sanabat. Exijt fama hæc non solum in Ciuitate, & Diœcesi Mutinensi, sed etiam vsq; ad extremas orbis partes peruenit, augebaturq; in dies non solum apud plebem; sed & apud Principes terræ huius sanctissimi Præsulis auctoritas, adeo quod plures nobiles se per litteras eius orationibus commendauerint. Longum esset enarrare, quãta viuens fecerit miracula, quantis profuerit, & quanta mala patienter pro Dei nomine perpessus fuerit. Demum senio confectus Dei gratia, signisq; admirãdis admodum clarus, & de obitu suo cælitus, dũ nocte oraret, præmonitus languere cœpit, sumptisq; Eucharistiæ sacris in pias preces profusus placide obdormiuit in Domino pridie Calendas Februarij circa salutis annnm tercentesimum octuagesimum septimum. Illudq; in primis memorabile in eius funere euenisse asserunt Surius, & Maurol; quod sanctus Seuerus Antistes Rauennas, dum in Ecclesia sua rei diuinæ mysteria celebraret, quadam extasi, velut somno quodã leni correptus tantisper quieuit, donec ipsius Geminiani funeri, & exequijs adesset, eodem tempore Mutinæ, & Rauennæ visus, ut certis postea nuntijs clarè compertum fuisse affirmant. Hic annus fuit insignis non solum morte Geminiani, sed & Ambrosij Antistitis Mediolanensis. Hunc Ciuem, & Pontificem suum Mutina sibi patronum adoptauit, quemadmodum sanctum Petronium Bononia, sanctum Zenobium Florentia, multæq; aliæ Ciuitates suos tam optime de se meritos Episcopos in Patronos adoptarunt, illiusq; præsentem opem durissimis temporibus in suis necessitatibus sæpius Ciuitas experta est; nam paucos post annos, cum die illius Natali Vrbs repentino fluminis auctu prope mœnia decurrentis obruta penè esset, & aquæ ad fenestras Templi Geminiano sacri, quod Theodorus illius successor, ac sancti Ambrosij discipulus construxerat, excrescentes antè ipsius fores apertas ita obriguissent, ut populus rei diuinæ intus adstans eas quidem hauriret, sed nulla ex parte læderetur, inuocato Geminiani auxilio ad alueum suum mirabiliter refluxerunt. Præterea, cum circa annum salutis quadringentesimum quinquagesimum secundum gens Hunnorũ fera, & crudelis, barbarieq; plena, quæ antea ab Alexandro intra Caucaseos montes inclusa fuerat, diuino sic permittẽte iudicio, è Pannonia vna cum Rege

suo

suo impijssimo Attyla erupißet, & vastata penè Germania, & Gallia tota trã siuisset alpes, in Italiamq; peruenißet, vbi prædictus crudelissimus Tirãnus, qui se Flagellum Dei nuncupari faciebat, plures Ciuitates, per quas transibat, deuastauit, ac destruxit, tandẽ cũ exercitu suo totius propemodũ Europæ trophæis onusto Mutinã venit, vbi Ciues terrore crudelitatis ipsius correpti se patrocinio Patroni sui Geminiani deuote cõmendarunt, qui intercessione sua illud apud Deũ promeruit, vt cęcitate imecta Rex ipse, & exercitus Ciuitatẽ ipsam vacui, & confusi sine alicuius lęsione pertransierint, quo miraculo Populus Mutinen. summa cũ veneratione diem illum coluit, & adhuc colit, qui est septimo Cal. Februarij, in memoriã tam singularis beneficij intercessione sui Patroni a diuina misericordia obtenti; cuius miraculi fama aliquot post annos permotus Narses Eunuchus Iustiniani Imperatoris in Italia Dux deuictis hostibus Venetijs, sicut vouerat, in Riuoalto, è regione Diui Marci ad honorem Diui Geminiani templũ satis insigne erexit circa annũ salutis quingentesimũ quinquagesimũ octauum, tantæq; extitit venerationis Geminianus, ac tantorũ miraculorũ gloria illustris fuit, vt à multis Italię Ciuitatibus, ac in primis à nobili Hetruriæ oppido, quod ab eo nomẽ accepit, Arę, ac templa illi erecta fuerint. Et quia mẽtionem oppidi Sãcti Geminiani in Hetruria fecimus, nõ ab re erit, si quæ inibi operatus est Geminianus, iuxta quod, & ab indigẽis dicti loci, & è vitis sanctorũ Hetruriæ nuper impressis collegimus, hic annectamus. Ferunt incolæ Castrum Sancti Geminiani, Castrum Syluiæ, seu Syluium a quodam Syluio Romano Patritio conditum, prius appellatum fuisse, & cum impius Attyla, cuius supra meminimus, post deuastatas plures Lombardiæ Ciuitates in Hetruriam penetraßet, & ad dictum Castrum peruenißet, quod sub tutela, & patrocinio Diui Geminiani erat, idem Geminianus, quemadmodum Mutinæ oculos iniqui Tyranni, & eius exercitus ita perstrinxerat, vt neminem videntes illam absq; lęsione alicuius pertransierint, sic & hoc loco eundem Sanctissimum Præsulem in medio duorum Angelorum ad portam, quæ dicitur fontis, apparuiße ferunt, eidemq; Attylæ minacibus verbis dixisse se esse Geminianum olim Mutinensem Episcopum, eiq; iniunxiße, ut nullum detrimentum eidem loco sub sua protectione constituto afferre præsumeret, quare cũ locum fuißet ingreßus, densissimæ statim nebulæ exortæ sunt, ut nullus aliquẽ licet sibi valde proximum videret, quapropter ipse Attyla cum exercitu suo confusus abijt nullo damno eidem Castro, uel eius habitatoribus illato, quod beneficium incolę acceptum retulerunt intercessioni, ac patrocinio Diui Geminiani, quem in illa calamitate supplices inuocauerant. Miraculum hoc adhuc dicunt videri sculptum in marmore antiquo supra dictam portam, inibiq; dictam sculpturam positam fuiße asserunt ob aliud simile miraculum in eodem loco ad inuocationem dicti Protectoris patratum; cum. n. quidam milites, ut Castrum deprædarẽtur, venißent,

statim pons dicti Castri inuentus est destructus, & milites prostrati per terram, perterritiq; nullum damnum Terræ, uel eius incolis intulerunt, & hoc ope, & patrocinio Diui Geminiani eorum Patroni, cuius opem in tantis periculis expertam etiam in hoc deuote implorauerant; Quod Castrum postea fuit a dicto Narsete Iustiniani Imperatoris Eunuco ampliatum, & ad formam, in qua nunc est, redactum, appellatumque fuit deinceps Castrum Diui Geminiani; in quo etiam dicunt asseruari digitum eiusdem Sancti illuc delatum à quodam Clerico Colensi, qui per aliquot annos inseruierat Sacristiæ Ecclesiæ Cothedralis Mutinæ, & cum aliquando ei se obtulisset occasio, illum furto subtraxit, vt ad patriam suam deferret, & cum ad dictum Castrum peruenisset cum Sacro illo pignore, nunquam portam dicti Castri exire potuit, licet pluries, sed frustra semper tentauerit; quo agnito Ciues dicti loci ipsum vocauerunt, & interrogauerunt, quis esset, vnde veniret, & quid secum deferret, qui factū detexit, & relicto ibi digito facile postea iter suum perfecit. Miserunt Ciues postmodū Oratores suos Mutinam, qui rem totam Mutinensibus significarent, Sacramq; reliquiam ab eis dono peterent, quod eis à populo Mutinensi liberaliter concessum fuit. Hoc totū asserunt dicti loci incolæ, dicētes apud ipsos adesse scipturas factum hoc continentes, & esse traditionem antiquissimam in dicta Terra. Legitur præterea in vitis sanctorum Hetruriæ, videlicet in vita sancti Bartholi, qui fuit è dicto castro oriundus, quod cum quadam nocte ipse supplices ad Deum preces effunderet, vt ipsum à morbo lepræ, aliisq; multis, quibus detinebatur, infirmitatibus tandem liberaret, & ad Cœlestia Regna perduceret, nocte sequēti apparuit ei Dominus magna Angelorum, aliorumq; Cœlestis Curiæ Sanctorum caterua circundatus, & dixit, Barthole prępara te, quia octauo abhinc die portas Paradisi ingredieris; quo dicto, statim discessit vna cum Angelis, & Sanctis eum comitantibus, præter vnum, qui ibidem remansit, quem Bartholus interrogauit, quisnam esset, & quare alios Dominum comitantes non fuerit secutus, qui respondit, ego sum Geminianus, qui hic remansi, ut tè monerem, quid agere te oporteat, scias te mihi fuisse datum socium in cura, & protectione huius populi, ne permittas corpus tuum extra moenia huius Terræ sepeliri, quia sicut ego hucusq; solus Terram hanc patrocinio, & protectione mea seruaui, sic decet, vt in futurum per vtrumque protegatur, & defendatur; quibus auditis Bartholus statim Notarium accersiri iussit, statuitq; corpus suum in Ecclesia Sancti Augustini dictæ Terræ sepeliri, licet prius per publicum documentum statuisset cadauer suum in Plebe Celulensi sepulturæ tradi debere. Non ommitēdū hic etiam puto, quod tanta fuit apud omnes huius gloriosissimi Christi confessoris veneratio, ut plures in eorum litaniis nomen Diui Geminiani retulerint, Gregorius enim (ut refert Rubeus in appendice Rauēnatis historię) scribens ad Castorium Notarium Rauennæ epistola septuagesima sexta libri,

bri septimi registri, aßerit quatuor, aut quinq; litanias Rauennæ antiquitus haberi consueuiße, & cum aliquarum meminisset ipse Rubeus in historia sua tandem quasdam recenset, in quibus in Catalogo Confeßorum nomen Diui Geminiani recensetur; eiusdem Diui Geminiani memoria habetur in litanijs Sancti Carpophori Mediolanensis Præsulis; ex quibus facilè conijci potest, quãtæ venerationis illis temporibus fuerit memoria huius Sancti Antistitis. Succedentibus autem temporibus, cum de anno nongentesimo tertio Vngari è Scythia profecti superatæ Pannoniæ Imperio, & Italica præda superbi more barbarorum Mutinensem agrum deuastaßent, Vrbeq; Ciuium fuga immunita, qui immanitatem, ac crudelem barbariem Scytharũ perhorrescebant, cũ impia turba sacrilegas manus Aedi Diuo Geminiano sacræ à Proprio Episcopo Gottifredo metu derelictæ inijcere moliretur, subita capitis, & oculorum vertigine correpta nefarios ausus nequaquam perficere potuit, quod populus Mutinensis Cœlesti auxilio, & Diui Geminiani patrocinio acceptum retulit. Ab eisdem Barbaris etiam incensum fuit monasterium Nonantulanum, sed postmodum reparatum per Petrum Abbatem, qui illuc etiam transtulit veneranda corpora Sanctorum martyrum Synesij, & Theopontij ex alio monasterio propè Tamisium ab eisdem incenso ex Sigonio de Regn. Ital. lib. 8. & ex Baron. in annal. huius temporis. Illud etiam non omittendum videtur, quod cum quidam puer olim è maiori Campanaria Turri cecidißet, precibus, & meritis Beati Geminiani illæsus euasit, quapropter in statis vespertinis horis frequenter Antiph. illa canitur, qua huius beneficij per patronum nostrum præstiti memoria recolitur; Sed ætate nostra hoc miraculum iteratum vidimus in Francisco Mandina puero decenni, qui ab eadẽ Turri, qua cubitis octuaginta eius altitudo eminet, pridie Cal. Decembris anno salutis 1569. prolapsus, Geminiani implorato nomine, primum, atq; alterum domus eidem Turri contiguæ tabulatũ effregit, nullo ex huius modi casu detrimento accepto, nisi leui quodam frontis vulnere, ex quo facile, & breui tempore conualuit, vt quemadmodum puer ille prior crinibus apprehensus subleuatus est, ita iste secundus manu supposita certæ morti subtractus fuerit. Illud etiam memorabile est, & nullo modo prętereundum, quod cum Mutinenses multum timerent à Gastone Foixeo Gallorum Duce audacißimo ob iniuriam in agro Mutinensi acceptã ipsis Mutinensibus multum irato, Diuina gratia ob intercessionem Beati Geminiani illis nõ defuit, nam ille apud Rauennam memorabili prœlio victor ab Hispanis victis cæsus est, & quas faces se alijs illaturum minatus fuerat, ijs ipse elatus Mutina, qua funus ab exercitu ducebatur, inspectante, sepulchrum Mediolani habuit, quo etiam mox tanquam impius iubente ita Pontifice caruit. Alio etiam recentiori miraculo à Gallis Carolo Ambosio Duce anno salutis. 1511. hostilia arma clam inferentibus liberata est Mutina, quæ pauloante expulso Alfonso

Atteſtino Romanæ ditioni à Iulio ſecundo Pontifice Maximo addita fuerat; nam mille ab Vrbe paſſibus eis occurrens Geminianus ſub ruſtici quidem, ſed venerandi ſenis ſpecie ſic eos exterruit inani Mutinenſium portis erumpentiũ, ac tubarum, tympanorumq; perſtrepentium viſu, & auditu, vt verã hoſtiũ impreſſionem, ac inſidias veriti fugã arriperent, multiſq; in Gabelli amnis trã- ſitu ſubmerſis, Dux ipſe Carolus rei euentu exanimatus Corrigiũ fugiens ſe re cepit, vbi vitam cum morte commutauit, detecta prius ſacerdoti viſione, dum ei more Chriſtiano peccata confiteretur, cuius miraculi deinde veritate com- perta, illius diem, qui fuit 12. Cal. Martij, reliquis eiuſdem ſancti Feſtis Mu- tinenſes addiderunt, ac ſub eiuſdẽ vexillo, & nomine inſtituta fuit pia Ciuium Sodalitas, erectumq; Oratorium. Huius venerabilis Antiſtitis Corpus à vete- re in nouam Baſilicam ſumptuoſiori opere inchoatã, ſed nondum completam à Dodone Epiſcopo, magno vicinorum Præſulum, ac populorum concurſu, Mathil daq; Commitiſſa cum exercitu præſente ſolemni ritu, & pompa translatũ fuit pridie Cal. Maij anno ſalutis milleſimo centeſimo ſexto. Eodem anno octauo Id. Octobris Paſchalis Secundus Põtifex Maximus Aram, vbi repoſitum eſt dictum Corpus, de more dedicauit, conceſſa omnibus qui tunc aderant, ampla, peccatorum remiſſione, Mathilda vero magnis, ac varijs collatis muneribus pietatem ſuam alijs etiam titulis illuſtrem declaranit. Expleta deinde Baſilica anno Domini milleſimo centeſimo octuageſimo quarto, Lucius Tercius Põtifex Maximus ab Arditione Epiſcopo, Conſulibuſq; Mutinenſibus, & à Rectoribus Ciuitatum pro tuenda communi libertate fœderatarum ibi congregatis, roga tus quarto Idus Iunij ſolemni cæremonia illam dedicauit, & oſtenſo Geminiani Corpore Populo id in primis expetẽti, debitam pro criminibus capitalibus qua draginta dierum, pro quarta vero parte venialium pęnam indulſit omnibus, qui die illius Natali ſacra Confeſſione purgati ſingulis annis Baſilicam ipsã ſuppliciter viſitaſſent. Non ſolum autem his beneficijs Mutinenſis Ciuitas Geminianum Patronum ſuum veneratur, verũ etiam multis alijs, quæ, & re- troactis temporibus experta eſt, & in dies experitur, dum ad ſacrum eius ſe- pulchrum ſpiritus immũdi ſacris exorciſtarum precibus adiurati à corporibus obſeſſis ab omnibus Chriſtiani orbis partibus ad ipſum confluentibus quotidie diſcedere coguntur, multum enim illius ſacræ Aræ præſentiam perhorreſcit Dæmon, in quo innenarrabilis Dei omnipotentis largitas, & miſericordia maxime dignoſcitur, qui famulos, & amicos ſuos ita honorare dignatur, vt eis etiam cacodæmones obedire compellat. Hæc omnia conſiderantes, fratres Cariſſimi, cum veneratione, & admiratione cum Propheta clame- mus; Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Princi- patus eorum, O' Fœlix Mutina, quæ tali, ac tanto es decorata Patrono, ſub cuius protectione ita ſecura conſiſtis, vt nullas aduerſarij humani generis

inſidias

insidias pertimescere debeas, huic Patrono te commenda, huius auxilium implorare ne desinas, certo sciens ipsum esse de tua salute admodum solicitum; huic ego illius indignus successor me totum committo, ipsum humiliter deprecans, vt apud Diuinam Maiestatem pro me intercedat, vt gressus meos dirigat in viam salutis, atque oues curæ meæ concreditas commendatas habeat, meque cum illis ad æternam fælicitatem perducere dignetur, præstante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & spiritu sancto viuit. & regnat in sæcula sęculorum. Amen.

THEODORVS.

397 DEfuncto Geminiano, cum mœsta admodum esset Ciuitas ob tanti viri obitum, valdeq; de alterius in defuncti locum subrogatione esset solicita, cum neminem reperiret dignum, qui illi sufficeretur, eius rei iuditium à Deo requirendum esse putauit. Quare ieiunijs indictis, precibusq; Deo fusis, repertus fuit Theodorus, qui ei sufficeretur. Hic fuit sancti Ambrosij discipulus, qui statim, vt Episcopatus gubernacula suscepit, Geminiano, cui in Episcopali munere successit, Basilicam primam tanquam sancto, ac Dei amico consecrauit. Quantæ autē pietatis, qualisq; sanctitatis fuerit vir iste, ex illo facile conijci potest, quod fuit discipulus Diui Ambrosij Mediolanensis præsulis, ex cuius schola tot præstantes, ac præclari viri tamquam ex Equo Troiano prodiere, & præcipue clarissimum Ecclesiæ lumen sanctus Augustinus, nec non, & Eusebius sanctæ Bononiensis Ecclesię Episcopus, & Felix, qui eandem Ecclesiam Bononiensē rexit ab anno. 401. vsque ad annum. 429. Hæc Basilica in aliam postea sumptuosiorē trāsmutata quātis donis, quibusuē immunitatibus, iurisdictionib. possessionib. & gratijs à varijs Pōtificibus Imperatorib. Regib. ac Principib. decorata, ac ditata fuerit, facile ex ijs, quæ infra dicentur, apparebit. Hanc eandē Basilicam Ciuibus fuisse pro Curia, in quā de Republica acturi cōuenirent, antequā Palatium, quo nunc vtuntur, construeretur, ex Vrbis annalibus constat, scribitq; Franciscus Paninus in sua historia rerum Mutinensinm. Sed reuertamur ad Theodorum, ille, vt se talis magistri discipulum, ac tam sancti viri dignum successorem ostenderet, cōmisso sibi gregi verbo pariter, & exemplo nō deerat, sciebat enim prædicationis munus esse præcipuum Episcopi, exactamq; ab eo requirendam esse rationē de talento sibi concesso, vt cū eo negotietur, expectans Domini sui aduentū, quare iuxta monitum D. Pauli prędicationi instabat opportunè, & importunè, vt sāctis sermonib. & exhortationib. omniū suarū animas ad terrenorū contēptū, & Cęlestē amorē inflāmaret, omnesq; Christo lucri facere, vitę vero sāctitate, ac morū exēplo omnibus curæ suæ concreditis præibat,

& tan-

& tanquam lucerna super candelabrum lucebat omnibus, qui in domo erant, singulis factus per compassionem socius, super omnes autem in cōtemplatione, & oratione se exercens, & si quandoq; cogebatur, ita exigente Pastorali officio, terrenis negotijs intendere, ipsius tamen mens sæculari varietate nō diffluebat, sed toto corde, & viribus in ardenti Dei dilectione persistebat, offerebat quotidie, vt bonus Pastor, prò ouibus suis vitā, & passionem Domini Iesu Christi omnipotēti Deo. His, atq; alijs pietatis Christianæ, & Pastoralis officij muneribus se exercens sanctus Episcopus, tandem plenus dierum obdormiuit in Domino, in Ecclesia, quam ipse construxerat, tumulatus. Eodem sedente Episcopo magnum Ecclesiæ accidit detrimentum, defecerunt enim tria ipsius Ecclesiæ præcipua luminaria, videlicet Sanctus Ambrosius Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, qui ætatis suæ annum vix sexagesimum ingreßus, anno. 397. migrauit è vita pridie nonas Aprilis, cum sedisset annos. 22. & menses 4. huius vitam omnium virtutum genere conspicuam conscripsit Paulinus. Obijt etiam Sanctus Hieronymus de anno 420. pridie Cal. Octobris, grecæ, hebraicę, latinæq; linguæ doctissimus, omniumq; sæcularium, & sacrarum litterarum peritissimus, hęreticorum hostis accerrimus, sanctitateq; vitæ conspicuus, cuius vitam descripsit Marianus Victorius. Nec non de anno 430. obijt Diuus Augustinus quinto Cal. Septembris anno ętatis suæ septuagesimo sexto, Episcopatus vero trigesimo sexto; huius vitam conscripsit Possidius, & alij quam plures; de anno sequente videlicet 431. obijt Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus nobilitate, doctrina, eloquentia, amicitia clarissimorum, & sanctissimorum virorum suę ætatis Clarissimus. cuius vitam conscripsit Vranius, &c.

GREGORIVS.

477 CVm Ecclesia Mutinensis fuißet a principio subiecta Metropoli Mediolanensi, quicquid dicat Rubeus in historia Rauennati, tādem de anno quadringētesimo quinquagesimo ipsa vna cum Ecclesia Bononiensi, Regiensi, Parmensi, ac Placentina, quę omnes eidem Ecclesię Mediolanensi erant subiectæ, Ioanni Archiepisco Rauēnæ, eiusq; Metropoli adiūcta fuit, Valētiniano. 3. Imperatore id decus Ciuitati Rauēnæ procurāte, quā pro sede Imperij cū Placidia Matre sibi elegerat, & cum de ānno quadringentesimo septuagesimo septimo idem Ioannes Archiepiscopus Gregoriū legibus aduersantibus inuitū Episcopū Mutinę consecrasset, omnes Æmilię Episcopi eidem fortiter restiterunt, req; ad Simplicium summum Pontificem delata, ille iusta ira accensus non modo factum improbauit, sed etiam ad eum literis scriptis, acriter increpauit, illiq; minatur dicens, quod si posthac tale aliquid præsumpseris, & aliquem

quem

quem talem, seu Episcopum, vel presbyterum vel diaconum inuitũ facere posse credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesiæ, vel AEmilianensis noueris auferendas. Hæc sunt verba Simplicij, ex quibus facile perspicitur, quãta huius viri fuerit humilitas, qui inuitus ad Episcopatum fuit promotus, sciebat enim, quod qui ad munus Episcopale promouetur, ad Ducatum populorum pertrahitur, quibus vitæ irreprehensibilis exempla præstare tenetur, dum onus officij Pastoralis suscipere præsumit, vndè stultum existimabat eum, qui cũ ad casum, vt ait Gregorius, proprijs vrgeatur oneribus, humeros tamen libenter submittit opprimendus alienis; agnoscebat officium Pastorale nil aliud esse, nisi quandam iugem, & perpetuam mentis tempestatem fluctibus curarum, & cogitationum semper feruẽtem. Quare hic verus Dei famulus onus recusabat, humerosque oneri supponere nollebat, inuitus tamen à Ioanne Archiepiscopo consecratus fuit, quod munus susceptum tanta solicitudine, ac pietate exercuit, vt omnes facile credant eum, sicut Geminiano fuit in terris in Episcopatu successor, sic in Cœlestibus Regnis nunc eidem esse consocium. Huius Episcopi tempore videlicet de anno. 485. Corpus sancti Barnabæ cum Euangelio sancti Matthæi super ipsius pectus eius manu descripto ipsomet sè reuelante repertum fuit in Cypro, quod Euangelium allatum Constantinopolim ibi asseruatur.

BASSIANVS.

501 MOrtuo Gregorio in eius locum successit Bassianus, vir miræ eruditionis, & eximia pietate conspicuus, qui vna cum alijs AEmiliæ Episcopis intrepide restitit Theodorico Regi Concilium Romæ indicenti aduersus Symmachum Papã, dicebat .n. Concilij congregationem spectare ad summum Pontificem, nõ autem id esse munus Regiæ Maiestatis, inter fuit, & se subscripsit tertiæ Sinodo Romæ habitæ sub eodem Symmacho Papa, nec nõ quartæ, & quintæ sub eodem Pontifice celebratæ, qui post multos labores pro ouibus sibi commissis toleratos, tandem vocante Domino vitam cum morte commutauit. Huius Episcopi temporibus magnum Ecclesia passa est detrimentũ ob schisma Laurentianum, mortuo enim Anastasio Papa, cum creatus fuisset Pontifex Symmachus ex Diacono, natione Sardus, Festus Patricius in gratiam Anastasii Imperatoris procurauit, vt Laurentius Romanus contra Symmachum Pontifex crearetur, cum quo magna intercedebat amicitia, & idcirco quam plurima Concilia sub eodem Symmacho celebrata sunt, in quibus fuit semper declaratus legitimus Pontifex Symmachus, Laurentius uero schismaticus, & tandẽ Ecclesia pacem recepit, cessante schismate. Circa hæc tẽpora magnus ille monachorũ Patriarcha Occidentalis decus Ecclesiæ Benedictus Nursinus patria secessit

secessit in montem Sublacus, vbi vitæ monasticæ prima iecit fæliciter fundamenta, qui postea de anno. 529. Cassinum montem petens, destructisq; Idolis inibi existentibus, monasterioq; erecto, monasticum ordinem ibi mirifice propagauit, vt sicut eo tempore monachismus in oriente paulatim prolabebatur, sic in occidente instauraretur per hunc magnum monacorum Patriarcã Benedictum. Quo item tempore sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus summum Africanæ Ecclesiæ decus post multos labores in profligandis hæresibus toleratos, post deniq; multa monimenta egregia ab ipso conscripta, suum obijt diem extremũ septuaginta propè diebus ęgritudine fatigatus, quo tempore illud solum frequẽter dicebat, Domine da mihi modò patientiam, & postea indulgentiam.

PETRVS.

682 *AB anno quingentesimo primo vsq; ad annum sexcentesimum octuagesimum secundum, licet memorię alicuius Episcopi Mutinensis vestigium aliquod reperire non potuerim, non tamen propterea credendum est, hoc intermedio tempore Ciuitatem suo caruisse Episcopo, sed iniuria temporum nomina ipsorum deperijsse non est ambigendum. De anno igitur sexcentesimo octuagesimo secundo reperitur Petrum fuisse Episcopum Mutinæ, eumq; inter fuisse Conuentui Romæ à summo Pontifice habito in Laterano, vbi vna cum Theodoro Archiepiscopo Rauennate subscripsit decreto de duabus Christi naturis, voluntatibusq; confecto, quod decretum postea fuit à summo Pontifice ad Concilium Constantinopolitanum sextum transmissum: subscriptio autem ipsius apparet in dicto Concilio Constantinopolitano in fine quartæ actionis in hęc verba. Petrus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Mutinensis in hanc sugestionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi. Fuit hic vir doctrina, atq; vitæ sanctitate conspicuus. De eodem anno hoc sedente Episcopo, ex iussu Imperatoris Rauennas Ecclesia reddita est Sedi Apostolicæ, eam regente, & gubernante Leone secundo Pontifice Maximo, qui Antistitum Rauennatum superbiam fregit, statuens pręcipue electionem Cleri Rauennatis nullam esse, nisi Apostolica comprobaretur auctoritate. Circa eadem tempora, videlicet 693. auctore Sigonio Episcopus Mutinensis fuit à Flauio Cuniberto Longobardorum Rege pluribus bonis, & possessionibus decoratus, cuius donationis factę Ecclesiæ Mutinensi licet nullum potuerim reperire documentum, tamen cum id tam asseueranter affirmet Sigonius, facile credi potest. & præcipue cum dicta donatio Flauij Cuniberti fuerit postmodum à pluribus Longobardorum Regibus confirmata, vt constat ex documentis infrà registrandis; & quamuis nullam alicuius donationis factæ Ecclesiæ Mutinensi*

hac

hac vetustiorem memoriam inueniam, & nullum ante Reges Longobardos in tabularijs eiusdem Ecclesiæ reperiatur donationis vestigium, ego tamen harũ donationum antiquiorem auctorem fuisse existimo Constantinum Magnũ, quem constat omnium erga Ecclesias fuisse liberalissimum, & præcipue erga Ciuitatem Mutinæ, quam prius à se dirutam resarcire voluit, teste Nazario, quem supra retulimus, dicente, prætereo te Mutina, & Aquileia, cæterasq; regiones, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit oppugnationis iniuria. hæc ille. ex quibus satis constat, ipsum Constantinũ erga Ciuitatem Mutinæ fuisse munificentissimum.

IOANNES.

743 DEfuncto Petro successit in Episcopatu Ioannes ex Dioecesi Mutinensi oriundus, vir in opere, & sermone potens, cui Hildeprandus Rex donauit Ecclesiam sancti Petri de Cittanoua in eadem Diœcesi existentem, qui locus distat à Ciuitate Mutinæ quatuor millia passuum, & erat Castrum satis insigne, in quod se receperunt Ciues Mutinenses, cum eorum Vrbs quondam destructa fuisset, illudq; appellarunt nomine Ciuitatis Geminianæ ab eorũ Patrono Geminiano, alioq, etiam nomine appellatum fuit, videlicet Ciuitatis nouæ, eo quod antiqua Vrbe deleta, Ciues in illum locum se recepissent, & propterea dicto nomine Ciuitatis nouę illum decorarunt, quod nomen retinet ad huc locus ille, ibiq; apparent multa antiquitatis vestigia. Idẽ etiam Episcopus, Si Sigonio credimus, fuit à Rachisio Rege multis muneribus, & possessionibus decoratus, & postremo à summo Rege Cęlesti gloria donatus. Sub hoc Episc. auctore Sigonio, Dioecesis Mutinensis à Bononiensi hac ratione diuisa fuit, facta inter vtrũq; Episcopũ sponsione, singuli vtrinq; delecti iuuenes sunt viribus corporis, ac pedum pernicitate æquales, quorum vnus Bononia, alter Mutina eodem die, horaq; profecti cursum quam uelocissime intenderunt, atq; vbi inter sè obuij fuerunt, ibi communes terminos vtriusq; Ecclesiæ posuerunt; huius rei uetus monumentum dicit extare in actis Ciuitatis Bononiæ, quod tamen ego non uidi. Hoc anno Luitprandus, qui cũ Leone Isaurico fœdus aduersus Romanos inierat, eo mortuo Exarchatum Rauennæ inuadens, Rauennam obsidione cingere parabat, cum id præsentiens Heutichius Patricius, & Exarchus, ac Ioannes Archiepiscopus Rauennas cum vniuerso populo Pentapolis, & Emiliæ Sãctissimũ Dominũ Papam Zachariam obsecrarunt, ut pro eorum occurreret liberatione, qui prius per legatos cum Rege re frustra tentata, post Ticinum ipsemet adijt, ac multis precibus vix, quod optabat, impetrauit.

LOPICINVS.

749 IOanne vita functo in illius locum suffectus est Lopicinus Episcopus, qui ab Astulpho Longobardorũ Rege obtinuit gratiosam, ac liberalem confirmationẽ omnium concessionũ, & priuilegiorum perprius à Cuniberto, & Rachisio Regibus Ecclesiæ Mutinensi concessorum. Huius Præsulis temporibus Anselmus Dux Foroiuliensis studio religionis incensus, monasterium cum Xenodochio apud Fananum oppidum montanum Diœcesis Mutinẽsis extruxit, ibiq; multorum monachorũ Abbas fuit, biennio postea elapso aliud insigne monasterium in Castro Nonantulæ ædificauit, feruntq; ipsum inibi fuisse Patrem, & Abbatem monachorũ plusquam millecentum quinquaginta, nõ longeq; ab ipso monastrio erexit Hospiciũ in via A Emilia ad excipiẽdũ peregrinos, illudq; Diuo Ambrosio dicauit, quod succedentibus temporibus à Flumine Scultemnæ dirutum fuit, relicta sola Turri, quę ad huc in medio alueo fluminis visitur. Sed ut ad Anselmum redeamus, hic cum Cœnobium Nonantulanum monachorum agminibus, ac phalangis decoraßet, quę Domino militantes ibi deseruirent, ut etiam aliquo insigni, ac Sacro pignore decoraret, vnà cum Astulpho Rege Romam petijt anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo tertio, & ab Adriano Pontifice Maximo precibus, & intercessionibus dicti Astulphi Regis obtinuit Corpus Gloriosissimi Pontificis Maximi Syluestri, cuius meritis Deo reconciliatus fuit Constantinus Magnus Imperator ablutis corporis, & animæ maculis in sacro Baptismatis fonte. Quare Anselmus multorum monachorũ comitatu stipatus, sacrum Corpus solemni ritu, ac pompa Roma ad Nonantulanum Castrum transtulit; quanta uero per iter miraculorum fulserint prodigia, non est nostræ depromere facultatis; cum ergo ad prædictum Nonantulanum Cœnobium venit cum Cęlesti Thesauro, omni cum honore multis delibutum aromatibus ibidem recondidit, eiusq, Sarcophagum multis decorauit ornamentis; quot uero, uel quantis illic nituerit, & niteat miraculis perspicue quæ ad fuit, quæq; in dies adest, cum multis alijs testata est, & testatur multorum numerositas monachorum. Et cum hæc omnia acta sint in Cœnobio Nonantulano in agro, & Dioecesi Mutinensi tunc consistente, multum mihi fit verisimile huic solemni translationi adfuisse Lopicinum tunc temporis Episcopum Mutinensem, in cuius Dioecesi prædicta cum tanta solemnitate agebantur. Sepulchrum hoc tempore Sixti iiij. Pontificis Maximi de anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto fuit apertum, sicq; retentum per tres dies, ut latius dicetur infra in vita Nicolai Lucensis tunc Episcopi Mutinensis. Hic Episcopus post recte administratam per aliquot annos Ecclesiam tandem obijt, in propriaq; Basilica sepulturam accepit.

GEMI-

GEMINIANVS.

785

LOpicino ſucceſſit Geminianus Glorioſiſſimi Patroni noſtri nedum nominis, ſed & morum, ac vitæ Sanctitatis ſucceſſor, & hæres; huic Deſiderius Rex de anno ſeptingẽteſimo quĩquageſimo octauo confirmauit omnia priuilegia, & donationes factas per præceſſores ſuos Eccleſiæ Mutinenſi. De anno poſtea ſeptingenteſimo ſeptuageſimo hoc Epiſcopo ſedente Eccleſia coepit reſpirare ab aſſiduis malis, quibus à Deſiderio Rege affligebatur; ſiquidẽ Carolus Magnus Rex Francorum in Italiam ab Adriano Pontiſice aduerſus Deſiderium Regem Romæ, ac toti ditioni Pontificiæ vehemẽtius incumbẽtem accitus, illo exacto, Regnum Italiæ anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto iniuit, & vniuerſa Eccleſia in ſuam clientelam accepta, victoris more veteres Epiſcoporum conſuetudines, ac poſſeſſiones reſcriptis ſuis confirmauit, ac prout erat pietatis Catholicæ ſtudioſus, eiſdem petentibus noua iura indulſit; inter cæteros autem, qui hac de cauſa Regiam Celſitudinem adierunt, vnus fuit Geminianus Mutinenſis Epiſcopus, à quo rogatus ipſe Carolus priuilegium eidem conceſſit huiuſmodi ſub tenore.

CAROLVS gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanus; omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus Comitibus, Gaſtaldis, atq; omnibus monaſterijs Deũ timentibus præſentibus, & futuris. Maximum Regni noſtri in hoc augeri credimus monimentum, ſi petitionibus ſacerdotum, ac ſeruorum Dei, in quo noſtris auribus fuerint productæ, libenti animo obtemperamus, atq; ad effectum perducimus. Quapropter nouerit ſolertia veſtra, qualiter nos ad petitionem venerabilis viri Geminiani Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopi, quæ eſt conſtructa in honorem præcioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Geminiani Antiſtitis ipſius Eccleſiæ, tale circa ipſum Sanctum locum conceſſiſſe beneficium, ut in monaſteria & xenodochia ſeu Eccleſias Baptiſmales, vel reliquas poſſeſſiones, quæ ad dictum EPiſcopatum pertinent, tam de datione Regis, quam Reginarum, ſeu reliquorum Deum timentium hominum, undè moderno tempore ipſa Caſa Dei iuſte inueſtita eſt, aut quod Diuina pietas ibi amplificare voluerit, nullus Iudex publicus ad cauſas audiendum, uel fodra vndiq; exigendum, ſeu manſiones, aut paratas faciendum, nec fideiuſsiones tollendum, neq; hominibus ipſius Epiſcopatus diſtringendum, nec vllas redhibitiones publicas requirendum, Iudiciaria poteſtas ibidem

quoq... tempore ingredi, nec exactare pęnitus non præsumat. Propterea hanc immunitatem conscribere iussimus, perquam specialiter decernimus ordinandum, ut nullus quilibet de vobis, neq; de iunioribus vestris, amodo, & deinceps, ut diximus, in monasteria, uel xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, uel reliquas possessiones, quæ ad ipsum Episcopatum, ut diximus, de datione Regum, aut Reginarum, seu reliquorum Deum timentium aspiciunt, nullus Iudex publicus ad causas audiendum, vel fodra vndiq; exigendum, seu mansiones, aut paratas faciendum, nec fideiussiones tollendum, nec ullas redhibitiones publicas requirendum, uel exactandum Iudiciaria potestas ibidem quoquam tempore ingredi, vel exactare penitus non præsumat, sed sub immunitatis nomine cum omni fræda concessa valeant omni tempore Rectores ipsius Episcopatus, hominesq; eorũ quieti viuere, & residere. Et vt hęc auctoritas firmior habeatur; vel diuturnis temporibus cognoscatur, manus propriæ subscriptione eam decernimus roborari.

Signum Caroli Gloriosissimi Regis.

V Vigbaldus ad vicem Radoni recognoui.

Dat. Sexto Cal. Octobris anno decimo quarto, & nono Regni nostri.

Idem Carolus donauit eidem Episcopo Mutinensi Plebem Ganazeti, aliaq; plura bona, ex quibus omnibus satis colligitur, & Regis Caroli pietas, ac liberalitas erga Ecclesias, & earum Præsules, nec non, & dicti Pręsulis cum ipso Rege familiaritas, & auctoritas. Hic Episcopus donauit Capitulo Eccle. Cathedralis quartã partẽ bonorũ Episcopatus Mutinæ, ut melius, & commodius eidẽ Cathedrali deseruire poßent Canonici, quæ donatio postmodum confirmata fuit ob Vgone, & Lothario Regibus de anno nongentesimo trigesimo quarto. Et cum orta eßet quædam controuersia super quibusdam oratorijs Ecclesiæ Regiensis, idem Carolus Rex de anno septingentesimo octuagesimo cognitionem huiusmodi controuersiæ commisit Petro Bononiensi Episcopo, Apolinari Regiensium Præsuli, Geminiano Mutinensium Antistiti, & Anselmo primo Abbati Nonantulano; Quem Episcopũ dierum, ac bonorum operum plenum Rex Cęlestis ad superna Regna vocauit.

GISO

GISO.

800 POst Geminianum Ecclesiæ Mutinensis gubernacula suscepit Giso, cuius Episcopi nullam aliam potui reperire memoriam, nisi quod tempore Caroli, & Pipini Regũ anno salutis octingentesimo ipse Episcopus concessit Plebem in Siculo, quæ nominatur Sancti Petri, cuidam Victori Archipresbytero retenta sibi quadam annua pensione, ut apparet ex documentis Tabularij Ecclesię Mutinensis. Idem etiam Episcopus, regnante Carolo Rege Frãcorum, & Longobardorum, fecit quosdam liuellarios contractus de bonis ipsius Ecclesiæ, ut ex eisdem documentis constat, qui tandem ad Regna Cœlestia vocatus mercedem laborum suorum plenam, & supereffluentem à bonorum omnium largitore suscepit.

DEODATVS.

814 POst Gisonem factus fuit Mutinæ Episcopus Deodatus vir vere Populo Mutinensi à Deo datus ut ipsum in viam salutis dirigeret, hic plurimũ verbo doctrinæ, & vitæ exẽplo laborauit, licet aduersa semper valetudine; Sæculi Principibus fuit admodũ carus, & præcipue Ludouico Imperatori Caroli filio, à quo priuilegium satis amplũ obtinuit, quo confirmauit omnia prædia, atq; omnia iura, quæ superiores Reges Ecclesiæ Mutinensi indulserant, videlicet Cunibertus, Luitprandus, Hildeprandus, Rachis, Desiderius, & Genitor suus Carolus, Sanciens, nequis Iudex publicus, aut Comes, aut Gastaldus super his litem mouere poßet, & ut in demortui Epispopi locum, siquis illo honore dignus in Clero reperiretur, ipse Clerus suis suffragijs Episcopum eligere poßet. Priuilegium datum est Aquisgrani anno salutis octingentesimo decimo quarto, & cõseruatur in Bibliotheca Ecclesiæ Mutinensis, & est huiusmodi.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Ludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Si petitionibus sacerdotum, ac seruorum Dei ad Diuini cultus augmentum, opem accomodamus, id nobis non solum ad stabilitatem Regni nostri, verum etiam ad æterna præmia facilius assequenda plurimum pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris præsentibus scilicet, & futuris, qualiter vir venerabilis

rabilis Ecclesiæ Mutinensis Episcopus, quia pro senectute, & infirmitate corporis ad nos peruenire non poterat, misit quendam presbyterum suum nomine Iulianum, per quem nobis suggessit petendo de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, quas Reges Longobardorum propter timorem, & amorem Dei Domini nostri Iesu Christi, & sancti Geminiani Confessoris eius eidem Ecclesiæ uel donauerunt, vel ab alijs datas confirmauerunt, ut inspectis eorum Regum præceptis, & confirmationibus easdem res, siue possessiones ad eandem Ecclesiam nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus. Cuius petitioni, quia iusta, & ratione subnixa videbatur, opem libenter accommodare, & assensum præbere nobis placuit. Inspectis igitur, ac bene lectis prædictorum Regum Longobardorum præceptis, uel confirmationibus complacuit nobis donationes, & concessiones, siue confirmationes eorum hoc nostræ auctoritatis præcepto iuxta petitionem memorati Episcopi ad eandem Ecclesiam confirmare, idest in primis confirmationem, quam Cunibertus Rex fecit ad Ecclesiam Sancti Geminiani de Villa Purcili, siue tributum, uel subsidiales, atq; angarias, quas serui eiusdem Sancti Geminiani ad ipsum Casalem laborandum, & excolendum habuerunt; similiter, & præcipue quod fecit Luitprandus Rex ad suprascriptã Ecclesiam de Seruis, & alijs rebus ad ius Ecclesiæ Sancti Geminiani pertinentibus, & in fine Salistina residentibus in Villis, quarum vocabula sunt Gandazetum, Gabellum Castrum cum suis piscarijs, quod fuit ab antiquo tempore massa Sancti Geminiani, super quibus est præceptum Rachisij Regis nobis ostensum, est similiter & Desiderij, nec nõ & præceptum Hildeprandi Regis, quod fecit ad Ecclesiam Sancti Geminiani propter petitionem Ioannis Episcopi de Ecclesia Sancti Petri intra muros Ciuitatis Geminianæ, quæ nunc noua Ciuitas vocatur, cum omnibus rebus, atq; appenditijs, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinent, uel quod ab Episcopis iuste acquisitum fuerit; similiter & donationem, quam fecit piæ recordationis Dominus, & Genitor noster Carolus Imperator petenti Geminiano Mutinæ Episcopo de Molendino propè stratam cũ accessione, siue aquario, quod pertinebat ad Curtem Regis Ciuitatis nouæ, nec nõ & res, quas duo Romani homines Gonderaldus videlicet, & Constantinus, & eorum vxores Maria, & Aguita ad Ecclesiam Sancti Geminiani donauerunt. Item Oratorium Sancti Apolinaris in Agnano situm intra Iudiciarium montem Beliensem, siue Oratorium Sancti Donini constructum propè Clusiam super flumen Nicuuen, nec nõ & oliueta iuxta muros Castri Mombeliensis posita, & ad Ecclesiam eandem pertinentia; Has res iam enarratæ Mutinæ Ecclesiæ, vel Sancti Geminiani

iuxta

iuxta petitionem prædicti viri venerabilis, & oratoris nostri Deus dedit Episcopi, quas Reges uel donaueruut, uel confirmaueruut, siue alij deuoti, ac Deum timentes homines ad eandem Ecclesiam solemni donatione contulerunt, & modo in eiusdem Ecclesiæ iure tenentur, vel inde iniuste, ac violenter abstracta erunt, hoc nostræ auctoritatis præcepto ad eandẽ Ecclesiã confirmare placuit. Quapropter præcipimus, atq; iubemus, ut nullus Iudex publicus, vel Comes, vel Gastaldus, siue qualibet potestate prædita psona memoratũ Episcopũ, vel successores eius, atq; Ecclesiã Sãcti Geminiani de supradictis rebus, & possessionib. quas supra nominati Reges ad eandem Ecclesiam confirmauerunt, & nos hac nostra auctoritate confirmamus, inquietare, aut iniuste pulsare, aut aliquid ex ijs contra iuris ordinem abstrahere, aut alienare, aut eis calumniam ingerere præsumat, sed liceat eas memoratæ Ecclesiæ, & Rectoribus eiusdem sub nostra, successorumq; nostrorum defensione quieto ordine tenere, ac possidere absq; cuiuslibet, sicut iam diximus, iniusta contrarietate. Concessimus & hoc priuilegium memoratæ Ecclesiæ, ut si post decessionẽ Episcoporum ipsius Sedis talis in Clero inuentus fuerit, qui secundum Canones Episcopatus honorem, & officium habere possit, licentiãhabeant eligendi inter se. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & nostris, ac futuris temporibus Domino Protegente valeat incorrupta manere, manu propria subscripsimus, & eam de annulo nostro Sigillari iussimus, violatorem duabus libris auri condemnantes. Signum Ludouici Serenissimi Imperatoris Durceden Diaconus ad uicem Fridegilli recognoui. Dat. Sexto Idus Februarij anno Christo propitio, VIIII. Imperij Domini Ludouici pijssimi Augusti, Indictione decima. Actum Aquisgrani Palatio Regis in Dei nomine fœliciter Amen.

Hic etiam Episcopus tempore Ludouici, & Lotharij Regum donauit Plebem in Siculo, quæ dicitur Sancti Petri, presbytero Leoni Archipresbytero suo consentiente in id Sacerdotio, & Clero, ut ex publico constat documento Bibliothecæ Cathedralis Mutinæ, fecitq; alios contractus in vtilitatem Ecclesiæ, quorum apparẽt publica documenta, & postremo vitam cum morte commutauit, in Ecclesiaque sua sepultus fuit.

IONAS.

850 *CRedimus Ionam Episcopum successisse Deodato, cum nullum alium intermedium inueniamus Episcopum, hic de anno octingentesimo quinquagesimo tempore Ludouici Magni Imperatoris, cum quidam Aribertus presbyter petijsset ab ipso Domino Iona Episcopo, ut sibi concederet, donec vixerit, Ecclesiam, Seu Plebem Sancti Ioannis Baptistæ & Sanctæ Sophiæ, quæ est in Villa Baioaria cum eius pertinentijs, Casis, possessionibus, & alijs rebus ad dictas Ecclesias pertinentibus, ipse Ionas Episcopus eiusdem Ariberti petitioni annuens, dictas Ecclesias eidem concessit, pro quibus ipse Aribertus promisit in singulos annos soluere Episcopo Mutinensi Solidos triginta in argento, Constāt prædicta publico documento Archiuij Ecclesię Cathedralis, sicut etiam ex documentis eiusdem Archiuij apparent alij contractus per eundem Episcopum celebrati. Præterea cum de anno octingentesimo quinquagesimo quinto hoc Episcopo sedente celebrata fuerit Ticinensis Synodus coram Ludouico Rege, conuocatis totius Lombardiæ Episcopis, in qua actum est de corruptis Ecclesiasticarum personarum moribus emendādis, credēdum est, ipsi Synodo interfuisse Ionam tunc Mutinensem Episcopum, qui post multos labores pro sua Ecclesia pie susceptos, tandem vitam cum morte plenus dierum commutauit.*

HERNIDVS.

861 *IOnam subsecutus est Hernidus, hic de anno octingentesimo sexagesimo primo obtinuit à Ludouico secundo Imperatore Parmæ existente in fauorem Ecclesiæ Mutinensis priuilegium huiusmodi tenoris.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Ludouicus gratia Dei Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Gastaldis, & siue Missis discurrētibus præsentibus, & futuris. Maximum Regni in hoc augere credimus monimentum si petitionibus sacerdotum, in quo nostris auribus fuerunt prolatæ, libēti animo obtemperamus, atq; ad effectum perducimus. Quapropter nouerit solertia vestra, qualiter nos ad petitionem uenerabilis uiri Hernidi Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Episcopi, quæ est constructa in honorē prætiosissimi Confessoris Christi Geminiani Antistitis ipsius Ecclesiæ,

tale

tale circa ipsum sanctum locum concessisse beneficium, vt in monasteria, & xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones, quæ ad ipsum Episcopatum aspiciunt, tam de datis Regum, quam Reginarum, seu reliquorum Deum timentium hominum, vnde moderno tempore ipsa Casa Dei recte inuestita est, aut quod Diuina pietas ibi multiplicare voluerit, nullus Iudex publicus ad causas audiendas, vel freda vndiq; exigenda, seu mansiones, aut paratas faciendum, nec non fideiussiones tollendum, neq; homines ipsius Episcopatus distringendum, nec ullas redhibitiones publicas requirendũ, Iudiciaria potestas ibidem quoquam tempore ingredi, nec exactare poenitus præsumat.
Propterea hanc immunitatem conscribere iussimus, per quam spetialiter decernimus ordinandum, vt nullus quilibet de vobis, neq; de iunioribus vestris amodo, & deinceps, vt diximus, in monasteria vel xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones, quæ ad ipsum Episcopatum, vt diximus, de datione Regum, aut Reginarum, seu reliquorum Deum timentium hominum aspiciunt, nullus Iudex publicus ad causas audiendum, vel freda vndiq; exigendum, seu mansiones, aut paratas faciendum, nec fideiussiones tollendum, nec vllas redhibitiones publicas requirendum, vel exactandum Iudiciaria potestas ibidẽ quoquam tempore ingredi, nec exactare pœnitus præsumat, sed sub immunitatis nomine cum omni freda concessa valeat, omniq; tempore Rectores ipsius Episcopatus, hominesq; eorum quiete viuere, & residere. Et vt hæc nostra auctoritas firmior permaneat, vel diuturnis temporibus cõseruetur, manu propria subter firmauimus, & de annulo nostro roborati iussimus, quod siquis violare præsumpserit, sciat se libras quadraginta auri optimi, medietatem eidem Ecclesiæ, & medietatem Palatio nostro compositurum.
Signum Domini Ludouici pijssimi Augusti.
Adelbertus Cancellarius recognoui.
Datum decimo tercio Cal. Octobris anno Christo propitio, Imperij Domini Ludouici pijssimi Augusti vndecimo.
Actum Parmæ Ciuitate in Dei nomine fęliciter. Amen.

HIs temporibus cum Suffraganei Æmiliæ à Ioanne Archiepiscopo Rauennæ diuersis modis grauiter vexarentur, conquerentibus dictis suffraganeis ipsius Ioannis insolentia, à Nicolao Summo Pontifice compressa fuit, cogebat enim idem Archiepiscopus Suffraganeos suos singulis mensibus singulos Rauennæ derelictis proprijs Ecclesijs ministrare, & vt id commodius facere possent, cuiq; Episcopo assignauit Ædes in dicta Ciuitate, quas incollere pos-

sent, dum ibi eßent ad ministrandum, præsertimq; Episcopo Fauentino assignauit AEdes vna cum Ecclesia Diuorum Ioannis, & Pauli, Mutinensi vero assignauit Ecclesiam Diuæ Agnetis vna cum AEdibus suis in eadem Ciuitate, quam Ecclesiam Præsules Mutinenses conferebant, vt satis constat ex multarum collationum instrumẽtis in Bibliotheca Ecclesiæ Mutinensis existentibus, quod etiam vsq; ad hæc tempora seruatum fuisse testatur Rubeus; & non solum idem Ioannes hęc, & alia grauissima suis Suffraganeis inferebat, sed etiam anteriores Archiepiscopos idem obseruaße ferunt. Quare conquerentibus dictis Suffraganeis idẽ Nicolaus Pontifex, attenta dicti Ioannis contumacia, qui ter vocatus coram eo adeße noluit, ipsum officio priuauit, sed postmodum intercessione Ludouici Imperatoris admißus, idem Pontifex coacto Romæ aliquorum Episcoporum Concilio, ipsoq; Ioanne præsente, fuerunt contra ipsum facta quædam decreta in fauorem Suffraganeorum, quæ aßeruantur in Bibliotheca Mutinensi, & sunt infrascripta videlicet.

SEcundo quoq; anno Sedem Apostolicam visitato, nisi aut aduersa valetudine præpeditus, aut Põtificio beneficio absolutus. Episcopos per AEmiliam ne consecrato, nisi à Clero, Populoq; electos, & litteris superea re à Pontifice missis. Eosdem Episcopos, quotiescunq; ad Apostolicam Sedem venire voluerint ne prohibito, & nullã ab eis pecuniã, nisi quæ legibus contineatur, exigito. Nullius hominis res quocunque modo, ac iure partas, ac possessas aliqua ratione occupato, aut titulum superimponito, donec in præsentia Apostolici, aut legati eius, aut Vesterarij Rauennæ legitime eas in iuditio obtineas. Prædia, quæ à iure Sancti Petri ad ius Sancti Apollinaris transtulisti, & per emphyteusim singulis hominibus tribuisti, diligenter exquire, & ipsas emphyteuses rescinde, & Sancto Petro, cuius fuerunt, restitue.

Idem Episcopus quosdam contractus fecit, de quibus in documentis in Archiuio Ecclesię Cathedralis existentibus, & cum per plures annos Ecclasiam Mutinensem sancte, ac pie administraßet, tandem senio confectus obdormiuit in Domino, &c.

LEODO-

LEODOINDVS.

876 *HErnido successit Leodoindus in Episcopatu, quod munus, vt vir erat omni pietate, & doctrina insignis, egregiè administrauit, nam de anno. 876. Romæ interfuit Concilio habito à Ioanne summo Pontifice, vt auctor est Sigonius, fecitq; quasdam concessiones de bonis Ecclesiæ, vt in tabulis desuper confectis apparet, quæ in Archiuio Cathedralis Ecclesiæ custodiuntur. Idem de anno octingentesimo nonagesimo primo obtinuit à Vidone Imperatore existente Lignaci amplissimum priuilegium, in quo non solum beneficia superiorum Regum Episcopo, & Ecclesiæ Mutinensi confirmauit, sed etiam ea nouis concessionibus cumulauit, quod priuilegium est huiusmodi.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Vido diuina ordinante prouidẽtia Imperator Augustus. Cum locis diuino cultui mancipatis ob diuinæ seruitutis amorem opem congruam ferimus, & Regũ morem decenter implemus, & id nobis profuturum ad æternæ retributionis præmia capessenda veraciter credimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisq; præsentibus, & futuris, quia adiens per Manfredum Comitem sacri Palatij Serenitatem culmiuis nostri vir venerabilis Leodoindus Sanctæ Mutinensis Ecclesię Episcopus, quæ est constructa in honorem Sancti Geminiani Confessoris Christi, & Episcopi, obtulit obtutibus nostris prædecessorum nostrorum Regum auctoritates, & confirmationes, in quibus continebatur, qualiter prædicti Reges antecessores nostri per cõmunes auctoritates, siue donationes ob remedium animarum suarum omnes res donarũt prædictæ Sedi, tam monasteria, quàm xenodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones ex munificentia Regũ, vel Ducũ, quàm ea, quæ per donationes Comitũ, seu quorumlibet Deum timentiũ hominum, vel ea, quæ per emptionem, vel quemlibet contractum ad eandem Ecclesiam peruenerunt, aut inanteà Dominus ibidem augere voluisset, firmum, & stabilem permanerẽt, & deprecatus est Excellentiam culminis nostri, vt non solum hoc nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus, verum etiam prædictam Sedem sub nostra constitueremus defensione. Cuius petitionibus fauentes, moremq; prædecessorum Regum sequentes, hos nostræ auctoritatis apices fieri iussimus, per quos omnes res prædictæ Ecclesiæ in perpetuum cõfirmamus, pariterq; etiã deprecatione sua apud nostram clementiam obtinuit, vt quicquid negli

genter serui, aut cartularij, vel pertinentes ad eandem Sanctam Sedem commiserunt temporibus antecessorum suorum prædecessorum Episcoporum, nullam omnino inquietudinē prædictus Episcopus suis temporibus, nec Aduocatus Ecclesiæ patiatur, similiter & petit, vt omnes res, quas antecessores sui in eadem Ecclesia acquisierunt & iure ipsius tenuerūt, præfato Præsuli, vel successoribus eius absq; cuiuslibet inquietudine, vel diminutione quieto ordine liceat possidere, insuper etiā pro remedio animæ nostræ eidem concedimus Ecclesiæ, vt sicut res nostræ proprietatis in quibus libet locis per inquisitionem manifestantur, ita res prædictæ Ecclesiæ per idoneos, & veraces homines inquirantur, & ad plenissimam vsque deducantur iustitiam tam nostris, quàm etiam successorum nostrorum temporibus. Nec non etiam concedimus eidem Ecclesiæ, vt deinceps serui, aut cartularij pertinentes ad eandem Ecclesiam nullum censum nostræ parti, aut publico ministeriali persoluant, sed liceat eis quieto ordine viuere, & ipsi suæ Ecclesiæ deseruire, nullusq; Iudex publicus, aut quilibet superioris, aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator ad causas Iudiciario ordine audiēdas in monasteria, xenodochia, aut Ecclesias Baptismales resideat, & homines tam clericos, quàm & laicos, Villas, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in diuersis locis, aut territorijs nostrę potestatis iuste, & legaliter quieto ordine tenet, ad freda, vel tributa exigenda, aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quàm etiam seruos super terram ipsius commorantes distringendos, pignorandos, nec in hostem ducendos, nec ire cogendos, nec ad vllas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendos, quibus in aliquo eadem Ecclesia, sibiq; subiecti aliquod iniustè patiantur incommodum, nostris, futurisq; temporibus quisquam tam temerarius existat, quod id . . . illicito sibi potestatem attribuere audeat; concedimus etiam eidem Sanctæ Mutinensi Ecclesiæ, sicut ei ab antiquis antecessoribus nostris Regibus, loca, in quibus Ciuitas prædicta cōstructa fuerat, per firmitatis suæ auctoritatem concessa sunt, ita vt auctoritatis nostrę præcepto firma & stabilia maneant cum Cancellarijs, quos perpetua, & iugi consuetudine temporibus antecessorum Episcoporum prædicta Ecclesia de clericis sui ordinis adscribendos suæ potestati libellos, & prædecarios habuit, & concedimus ei vias, pontes, portas, & quicquid antiquo iure incolumitati de his Regię auctoritati per procuratores Reipublicę soluebatur, idem, vt vbicunq; vias, pontes, portas in sua terra habuerit, vestro iure, liberam capiendi debitum ex eis censum habeat potestatem, & liceat

ei fossata

ei fossata cauare, molendina construere, portas erigere, & super vnum milliarium in circuitu Ecclesiæ Ciuitatis circumquaq; firmare ad saluandam, & muniendam ipsam Sanctam Ecclesiam, suamq; constitutam Canonicam, & aquam aperire, & claudere absq; vlla publica contradictione. Liceatq; memorato Præsuli, suisq; successoribus cum omnibus sibi subiectis rebus, vel domibus ad se aspicientibus, vel pertinentibus sub tuitionis nostræ defension e quieto ordine degere, atq; pro incolumitate nostra, totiusq; Imperij ab eo nobis concessi vna cum Clero, & populo sibi subiecto Dei immensam clementiam iugiter exorare; contulit etiam prædictæ Ecclesiæ nostra Imperialis exorata clementia, vt si conspiratio populi maleuola ad tollẽdas res Ecclesię persuadia fuerit confirmata, vt testimonia, & aduocationem ad iustitiam capiendam Ecclesia inuenire non valeat, & ex hoc administratores Sancti loci se reclamauerint, quod propter eiusmodi causam iustitiam Ecclesia habere non possit, si conspiratorum adunata collectio commissum scelus negare, atq; per sancta purgare voluerit, liceat per suspiciones falsitatis Ecclesiæ administratoribus, si ita voluerint, per pugnam Ecclesiæ alicuius hominis libere rem diuinis legibus, & mundanis prohibitam approbare, sicq; in omnibus rerum Ecclesiarum causis, quibuscunq; legali disceptatione tantum exorta fuerit, vt pugna, aut testibus dirimatur, & pars Ecclesiastica suspecta testimonia aduersæ partis pro prædicta conspiratione, & periurio dubitando habuerit, si fidens de iustitia rectitudinis pugnam elegerit, quod sibi eliget, hoc ei per hoc nostræ firmitatis præceptum ad opponendum suam iustitiam nostra principali clementia consentimus. Siquis vero contra hanc pręceptionem auctoritatis nostræ ausu temerario ire tentauerit, sciat se compositurum auri libras triginta medietatem Palatio nostro, & medietatem eidem Ecclesiæ. Et vt hæc auctoritas nostris, futurisq; temporibus Deo protegente valeat inconuulsa manere, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Domini Vidonis Serenissimi Imperatoris.

Gofredus Notarius ad vicem Nelbonei Archicancellarij recognoui.

Datum decimo Cal. Decembris Indictione decima, anno Incarnationis Dominicæ. 892. regnante Domino Vidone in Italia, anno Regni eius quarto, Imperij primo.

Actum Lignaco Villa in Dei nomine fœliciter. Amen.

Ex huius priuilegij serie optime conspicitur, & Imperialis pietas erga Ecclesias, & Leodoindi Episcopi apud ipsum Imperatorem auctoritas, qui tam insi-

gne

gne priuilegium ab eo obtinuit. Hic Episcopus donauit Capitulo Ecclesiæ Cathedralis quartam partem bonorum Episcopatus, quæ donatio fuit postmodum confirmata de anno nongentesimo trigesimoquarto per litteras Vgonis, & Lotharij Regum, quarum tenor est.

IN nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. Vgo, & Lotharius gratia Dei Reges. Si pro mercede æternę retributionis sacerdotum curam, & solicitudinem gerimus, non solum ad hanc vitam transitoriam, sed etiam ad æternam nobis profuturum esse liquido credimus; Idcirco notum esse volumus omnibus Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisq; scilicet præsentibus, & futuris; quoniam sacræ Canonicæ congregatio Mutinensis Ecclesiæ detulit nobis priuilegia quædam, in quibus exaratum, & scriptum fuit, quomodo quidam Geminianus, & Leodoindus Episcopi concessere ei quartam portionem de omnibus rebus ad suprascriptam Sedem pertinentibus, idest tam domibus, quam de cœteris ædificijs, terris cultis, & incultis, agris, vineis, pascuis, Syluis glandiferis, vel etiam cœteris Syluis, aquis, aquarumq; decursibus, mobilibus, & immobilibus, & omnibus adiacentijs suis, insuper etiam adiunctum fuit, qualiter concessum fuit eis quicquid . . . . Diaconus per libellum, & emphyteusim de iure præfatæ Ecclesiæ habuit, sed ob firmitatis gratiam nostram deprecati sunt clementiam, vt præceptum mansuetudinis nostræ vniuersis rebus illorum, sicut in illorum priuilegijs continetur, recipere mererentur; Nos autem ab amorem Domini nostri Iesu Christi petitionibus illorum, inquantum iuste, & legaliter possumus, satisfacientes, iussimus eis hos Regales apices fieri, atq; cōscribi, per quos decernimus, atq; iubemus, vt nullus Iudex publicus, aut aliqua opposita persona, aut etiam Episcopus, vel Comes, liber, vel seruus in eorum rebus, vel locis aliquid inuadere, aut in aliquo calumniari iniuste audeat, sed liceat eis quiete, & cum summa saluatione omnia eorum possidere, sicut in eorum priuilegijs continetur, similiter autem sancimus, & constituimus, vt quicquid modo habet proprietatis bonorum per hominum donationes, vel legales offersiones, & quicquid ipsi Canonici de iam dicta Ecclesia per paginam scripturæ habent ad censum reddēdum, vel de monasterijs, aut inantea legaliler habere potuerint, omnia sub nostræ tuitionis Mundualdo quieto, atq; pacifico ordine habeant, atq; possideant, nullo vnquam eis aliquam iniuriam, vel molestiam inferente, sed liceat eos quiete viuere, vt libentius, & securius Deo in Diuinis laudibus vacent, & pro nobis, & omni stabilitate Regni nostri assiduis precibus vberius exorare valeant. Siquis autem eis calumnio-

sus

sus, vel inuasor in illorum rebus, domibus, massarijs, vel locis fuerit, vel aliquid eis intulerit, quod sacris legibus obuiauerit, centum quinquaginta libras auri optimi restituat, medietatem Palatio nostro, & medietatem prædictis Canonicis, qui ibi pro tempore Deo seruierint; & vt hæc nostra auctoritas perpetuis tēporibus inuiolata manere valeat, manibus proprijs subter firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signa Serenissimorum Vgonis, & Lotharij Regum.

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlarij Abbatis, & Archicancellarij recognoui.

Datum decimo Cal octobris, anno Dominicæ Incarnationis. 934. Regni autem Domini Vgonis inuictissimi Regis octauo, & Domini Lotharij item Regis tertio, Indictione septima.

Actum in Prato Paludis fœliciter Amen.

Hic Episcopus creditur interfuisse Congregationi Episcoporum habita Roma à Ioanne Summo Pontifice in Coronatione Caroli Calui Regis Francorum, sicut vere interfuit alteri Congregationi habitę Papiæ eadem de causa, cui se, auctore Sigonio, subscripsit. &c.

GAMENVLFVS.

898 *IN Leodoindi demortui sede collocatur Gamenulfus, vt aliqui asserunt, suspicantur tamen multi Gamenulfum esse eundem cum Gotifredo sequenti Episcopo, nescio qua ratione moti, libuit tamen illum tanquam diuersum hic apponere, cum in duobus priuilegijs Archiuij; Ecclesiæ Cathedralis hunc diuerso nomine ab illo appellari conspexerim. Hic igitur Episcopus suorum sequens exempla prgcessorum à Lamberto Imperatore Augusto obtinere procurauit ad fauorem Ecclesiæ suæ priuilegium, prout re vera obtinuit huiusmodi sub tenore.*

IN nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis. Lambertus diuina fauēte clementia Imperator Augustus. Dum locis diuino cultui mancipatis ob intimæ seruitutis amorem opem congruam ferimus, & Regum morem decenter implemus, & apud Deum profuturum nobis non diffidimus. Igitur omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesię, nostrorumq; præsentium scilicet, ac futurorum nouerit industria, qualiter interuentu Amolorij venerabilis Episcopi nostri Archicancellarij suggessit nostræ

ſtræ Celſitudini Gamenulfus Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quatenus auctoritatis noſtræ præcepto confirmaremus cuncta munimina, atq; poſſeſſiones iuſte, & legaliter ad eandem Eccleſiam pertinentes, cuius precibus aſſenſum præbentes addimus, & terram illam in loco Ganazeti quam præceſſores noſtri donauerunt, omnia monaſteria, Xenodochia, Eccleſias Baptiſmales cum omnibus ſuis pertinentijs ad ſupraſcriptam Eccleſiam ſtabilimus perpetuo roborare, eam recipientes ſub noſtræ tuitionis Mundualdo; concedimus etiam, vt iuxta morem aliarum Eccleſiarum res prædictæ Eccleſiæ per idoneos homines, & veraces omni tempore inquirantur, & ad pleniſſimam vſq; deducantur iuſtitiã, nec non etiam condonamus eidem Eccleſiæ, vt deinceps ſerui, & cartularij ad eandem Eccleſiam iuſte pertinentes nullum cenſum publicę parti perſoluant, ſed liceat eis quieto ordine viuere, & ipſi ſuæ Eccleſiæ deſeruire, nulluſq; Comes, aut Iudex publicus, vel quislibet Reipublicę procurator ad cauſas Iudiciario more audiendas in monaſterijs, Xenodochi s, aut Eccleſijs Baptiſmalibus reſideat, & homines tam clericos, quam etiam laicos, Villas, & agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in diuerſis locis aut territorijs noſtræ poteſtatis iuſte, & legaliter quieto ordine pars ipſius Eccleſiæ tenet, ad freda, vel tributa exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos, quam etiam ſeruos ſuper terram ipſius commorantes, diſtringendos, pignorandos nec in hoſtem ducendos, nec ire cogendos, nec vllas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendos, quibus in aliquo eadem Eccleſia, ſibiq; ſubiecti alias iniuſtè patiantur incommodum, quiſquam temerarius exiſtat; ſancimus etiam prætaxatæ Eccleſię iuxta anteceſſorum noſtrorum decreta, loca, in quibus prædicta Ciuitas conſtructa eſt, hoc noſtrę auctoritatis præcepto ſtabilia maneant cum Cancellarijs, quas priſca conſuetudo præfatæ Eccleſię de clericis ſui ordinis adſcribendos ſuę poteſtatis libellos, & pothecarios habeat, vias quoq; pontes, & quicquid antiquo iure eidem Ciuitati, ac Curatoribus Reipublicę ſoluebatur, ideſt vbicunque vias, pontes in ea terra habuerit, verum iure liberum capiendi debitum ex eis cenſum habeat poteſtatem, & liceat ei foſſata cauare, molendina conſtruere, portas erigere, & ſuper duo milliaria in circuitu Eccleſię Ciuitatis circumquaq; firmare ad ſaluandam, & muniendam ipſam Sanctam Eccleſiam, ſuamq; conſtitutam Canonicam, & aquam aperire, & claudere abſq; vlla publica contradictione, & ſub noſtrę tuitionis defenſione idem Pręſul in ſuis omnibus permanens pro nobis omnipotentem Deum valeat exorare, ſi vero inter commorantes firmata

fuer

fuerint testimonia ad res eiusdem Ecclesiæ rapiendas, & pars præfatæ Ecclesiæ reclamauerit, quod pro huiusmodi causa iustitiam habere non possit, si negare hoc, aut sacramento purgari noluerint, administratoribus Ecclesię liceat pugna, aut testibus, si tamen voluerint approbare, ne sub hac occasione damnum Ecclesia incurrat, siquis autem hanc præceptionis nostræ auctoritatem temerarius infringere tentauerit, sciat se compositurum auri optimi libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem supradictæ Ecclesię. Et ut quoq; verius credatur, & diligentius ab omnibus obseruaretur, manu propria subsignauimus, nostroq; annulo iussimus insigniri.

Signum Domini Lamberti Imperatoris pijssimi Augusti.

Andreas Notarius ad vicem Amolonij Archicancellarij recognoui.

Datum anno Incarnationis Domini. 898. Domini quoque Lamberti pijssimi Imperatoris septimo, pridie Cal. octobris, Indictione secunda. Actum Marinco in Nemore in Dei nomine fœliciter Amen.

Idem Episcopus, vt Ecclesiæ suæ iura tutius, ac securius seruarentur, aliud simile priuilegium obtinuit à Rege Berengario, quod est huiusmodi.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei ęterni. Berengarius diuina fauente clementia Rex. Dum locis diuino cultui mancipatis ob diuinę seruitutis amorem opem congruam ferimus, & Regum morem decenter implemus, & apud Deum profuturum nobis non diffidimus; Igitur omnium fidelium sanctę Dei Ecclesię, nostrorumq; pręsentium scilicet, & futurorum nouerit industria, qualiter interuentu Petri Reuerendissimi Episcopi, & Archicancellarij nostri adijt Celsitudinem nostram Gamenulfus Sanctę Mutinensis Ecclesię Episcopus, quatenus nostrę auctoritatis pręcepto cõfirmaremus cuncta munimina, atq; possessiones iuste, & legitime ad eandem Ecclesiam pertinentes, cuius precibus assensum prębentes, Capellas, monasteria, Xenodochia, & Ecclesias Baptismales cum omnibus suis pertinentijs ad suprascriptam Ecclesiam stabilimus perpetuo robore, eam recipientes sub nostræ tuitionis Mundualdo; concedimus etiam iuxta morem aliarum; res pręndictę Ecclesię per idoneos homines, & veraces omni tempore inquirantur, & ad plenissimam vsq; deducantur iustitiam, nec non etiam condonamus eidem Ecclesię, vt deinceps serui, aut cartularij ad eandem Ecclesiam iuste pertinentes nullum censum publicę parti persoluant, sed liceat eis quieto ordine viuere, & ipsi suæ Ecclesiæ deseruire, nullusque Comes,

aut Iudex, vel quilibet Reipublicę procurator ad causas Iudiciario more audiendas in monasterijs, Xenodochijs, aut Ecclesijs Baptismalibus resideat, & omnes tam clericos, quàm laicos, villas, & agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in diuersis locis, aut territorijs nostrę potestatis iuste, & legaliter quieto ordine pars ipsius Ecclesię possidet, vel etiam ad freda, seu tributa exigenda, aut mansiones, & paratas faciendas, neq; fideiussores tollendos, hominesq; ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quam etiam seruos super terram ipsius commorantes distringendos, pignorandos, nec in hostem ducendos, nec ire cogendos, vel vllas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendos, quibus in aliquo eadem Ecclesia, sibiq; subiecti aliquod iniuste patiantur incommodum, quisquam temerarius existat. Iubemus etiam, atq; omnimodo contradicimus, vt nullus quilibet ex omnibus pertinentijs supradictæ Ecclesię vllam retinentiam facere præsumat, neque . . . acquisita, aut conscriptiones, & emphyteuticarios à Pręsulibus prædictę Ecclesię iniustè conscriptas retinere, inde quippiam, vel modicum pręsumat, sed pro Dei reuerentia absque vlla contradictione pars, & potestas eiusdem sua recipiat iura. sancimus etiam pętaxatæ Ecclesię iuxta antecessorum nostrorum decreta, loca, in quibus pędicta Ciuitas cō structa est, ita nostræ auctoritatis pręcepto stabilia maneant cum Cancellarijs, quos prisca consuetudine præfata Ecclesia de clericis sui ordinis adscribendos suę potestatis libellos, & pothecarios habeat, vias quoque pontes, portas, & quicquid antiquo iure eidem Ciuitati à procuratoribus Reipublicæ persoluebatur, idest vbicunq; vias, portas, pontes in sua terra habuerit, nostra vice pars pętaxatę Ecclesię libere capiendi debitum censum ex eis potestatem habeat, & liceat ei fossata cauare molendina construere, portas erigere, & super vnum milliarium in circuitu Ecclesię Ciuitatis circumquaq; firmare ad saluandam, & muniendam ipsam Sanctam Ecclesiam, suamq; constructam Canonicam, & aquam aperire, & claudere absq; vlla publica contradictione, vt sub nostrę tuitionis defensione idem Pręsul cum suis omnibus permanens pro nobis omnipotentem Deum valeat exorare. Si vero inter commorantes firmata fuerint testimonia ad res eiusdem Ecclesię rapiendas, & pars pręfatę Ecclesię reclamauerit, quod pro huiusmodi causa iustitiam habere non possit, si negare hoc aut sacramento purgari noluerint, administratoribus Ecclesię liceat pugna, aut testibus, si tamen voluerint per pugnam approbare, ne sub hac occasione Ecclesia damnū incurrat. Siquis autem hanc pręceptionis nostrę auctoritatem temerarius infringere

gere tentauerit, sciat se compositurum auri optimi libras triginta, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem supradictæ Ecclesię. Et vt hoc verius credatur, diligentiusq; ab omnibus obseruetur, manu propria firmauimus, & annuli nostri impressione subscripta iussimus insigniri.
Signum Domini Berengarij Gloriosissimi Regis.
Vitalis Cancellarius ad vicem Petri Episcopi, & Archicancellarij recognoui.
Datum Septim Id. Decembris, anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. 898. anno vero Regni Domini Berengarij Gloriosissimi Regis vndecimo, Indictione secunda.
Actum Bononiæ Ciuitate in Dei nomine fœliciter. Amen.

Cum de anno 898. Gamenulfus fuerit Mutinæ Episcopus, vt ex dictis priuilegijs satis aperte constat, & de eodem anno Rauennæ à Ioanne Nono Pontifice habitus sit Conuentus septuaginta quatuor Episcoporum, fit verisimile, Gamenulfum Episcopnm eidem interfuisse, in quo Cōuentu actum est de causa Formosi, alijsq; rebus, quę in Ecclesia correctione egere videbātur, inter cæteraq; infirmata fuerunt acta Conuentus à Stephano habiti. Huius Concilij acta in tabulario Ecclesię Mutinensis aßeruantur. Hic Episcopus, cum perpaucos annos præfuißet Ecclesiæ Mutinensi; migrauit ad Dominum.

GOTIFREDVS.

902 *GAmenulfo successit Gotifredus de anno nongentesimosecundo. Cum Berengarius Rex eßet Papiæ Septimo Id. Augusti, anno sui Regni quintodecimo, postulante Gotifredo Episcopo Ecclesiam Mutinensem magnifice munerauit, multisq; auxit donis, vt ex ipsius priuilegio constat, quod est huiusmodi.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Berengarius diuina fauente clementia Rex. Dum locis diuino cultui mancipatis ob diuinæ seruitutis amorem opem congruam ferimus, & Regum morem decenter implemus, & apud Dominum profuturum nobis non diffidimus. Igitur omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq; præsentium scilicet, & futurorum nouerit industria, qualiter interuentu Reginalphi Episcopi, nec non & sacri Palatij nostri Archicapellani adijt Celsitudinem nostram Gotifredus Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Episcopus, quatenus ob mercedis nostræ augumentum quandam terram iu-

ris Regni nostri sitam in loco, qui dicitur Quarantula, hactenus, pertinentem de Comitatu Regiensi simul cum piscaria, quæ simili modo dicitur Quarantula vna cum campo, qui vocatur Lunada simul cum Vara, & Banni & alia camparia ad eandem piscariam pertinentia cum omnibus earum adiacentijs, & pertinentijs, ripis, aquis, paludibus, cum pontibus, qui vocantur Gardinacula Montiana cum ripatico intrante flumen, qui dicitur Bondino, ex vtraq; parte ad pedes duodecim cum omni districtu ibidem legaliter pertinente, concederemus prætaxatæ Sanctæ Mutinensi Ecclesiæ, eiusdemq; Rectoribus per hoc nostrę Imperialis auctoritatis præceptum in proprietatem; quorum petitionibus libenter assensum præbentes hoc Serenitatis nostræ pręceptum fieri decernimus, per quod pręnominatæ Sanctæ Mutinensi Ecclesiæ in honorem Sancti Geminiani dicatæ, eiusdemq; Rectoribus eandem terram iuris Regni nostri sitam in loco, qui dicitur Quarantula, hactenus pertinentem de Comitatu Regiensi simul cum piscaria, quæ similiter Quarantula vocatur vna cum campo Lunada, Vara, & Banni, & Gardinacula, & alia camparia ad eandem piscariam pertinentia cum omnibus eorum adiacentijs, & pertinentijs, ripis, aquis, paludibus cum pontibus, qui vocantur Gardinacula Montiana, cum ripatico intrante flumen, quod dicitur Bondino, ex vtraque parte ad pedes duodecim cum omni districtu ibidem quocunque legaliter pertinente, videlicet terris, vineis, Syluis, pratis, pascuis, campis, ripis, rupinis, piscarijs, paludibus, molendinis, aquarumq; decursibus, vel quicquid in eis dici, vel nominari potest totum, & ad integrum præscriptæ Ecclesiæ Mutinensi in honorem Beati Geminiani Confessoris Christi dicatæ, eiusdemq; Rectoribus concedimus per hoc nostræ Imperialis auctoritatis præceptum perpetualiter possidendum absque vllius contradictione, vt habeat, teneat, possideat, & faciat exinde quicquid iustum, & congruum ei videbitur. Siquis autem contrarius, vel temerarius contra hoc nostræ auctoritatis præceptum in aliquo violare, rumpere tentauerit, sciat se compositurum auri optimi libras sexaginta, medietatem Cameræ Palatij nostri, & medietatem Rectoribus eiusdem Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ in honorem Sancti Gemìniani dicatæ. Et vt verius habeatur, & diligentius ab omnibus obseruetur, manu propria roborãtes annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Berengarij Gloriosissimi Regis.

Ambrosius ad vicem Ardingi Archicancellarij recognoui.

Datum Septimo Id. Augusti, anno Incarnationis Domini nostri Iesu

Christi

Chriſti 902. anno vero Regni Domini Berengarij Glorioſiſſimi Regis decimoquinto, Indictione quinta.
Actum in Ciuitate Papiæ in Dei nomine fœliciter. Amen.

Hic Epiſcopus de anno 903. cum Vngari deuaſtata Italia agrum Mutinenſem depopulati eſſent, ingreſſi Ciuitatem, quam inuenerunt immunitam, eo quod Ciues vna cum Gotifredo eorum Epiſcopo barbariem Scytharum perhorreſcentes eam reliquiſſent, dum deprędationi Eccleſiæ Diuo Geminiano dicatæ ſe accingerent, repentina capitis, & oculorum vertigine correpti, quod ſcelus attentabant, perficere non potuerūt, quod interceſſioni, & patrocinio Diui Geminiani Ciuitas ipſa retulit, vt etiam in vita dicti noſtri Patroni ſuperius diximus; De anno vero ſequenti 904. Berengarius Rex, vt aliqua ex parte reſarciret damnum per Vngaros eidem Eccleſiæ factum ad interceſſionem, & preces Petri Regienſis Epiſcopi eidem Gotifredo aliud priuilegium ſimile ſuperiori renouando conceſſit, quod eſt huiuſmodi.

IN nomine Domini Dei ęterni. Berengarius diuina fauente clementia Rex. Si ſacris, venerabilibuſque locis Regalis ſublimitas ea intendere ſtudet, quibus augumentum, & alleuiationem aſſumere cognoſcuntur, id profecto ad æternæ retributionis præmium proficere nequaquā ambigimus. Igitur omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque ſcilicet præſentium, & futurorum nouerit induſtria, qualiter Petrus venerabilis Sanctæ Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus noſtræ pietatis adierit clementiam, petens quatenus pro Dei amore, noſtręq; remedio animæ, Sanctæ Mutinenſi Eccleſię, cui prę eſt Gotifredus venerabilis Epiſcopus, quandam terram iuris Regni noſtri, ſitam in loco, qui dicitur Quarantula, hactenus pertinentem de Comitatu Regienſi ſimul cum piſcaria, quæ ſimili modo nuncupatur Quarantula, vna cum campo eiuſdem piſcariæ, qui vocatur Lunada, cum Vara, & Banni, ſeu alijs campis ad eandem piſcariam pertinentibus cum omnibus eorum adiacentijs, ripis, paludibus, aquis, cum pontibus, qui vocantur Gardinacula Montiana, & ripatico intrantis fluminis, qui nominatur Bondino, ex vtraque parte vſq; ad pedes duodecim cum omni etiam diſtrictu ibidem legaliter, quocunque ordine pertinente iure proprietario in integrum confirmantes concederemus, cuius nos deuotis precibus diuino compulſi amore libenter aſſenſum præbentes prælibatæ Sanctæ Mutinenſi Eccleſię in honorem Sancti Geminiani dicatæ, eiuſdemq; Rectoribus eadem omnia, ſicut ſuperius notatum eſt, iuris Regni noſtri hactenus pertinentia de Comitatu

tatu Regiensi sita in loco, qui dicitur Quarantula simul cum piscaria, quę simuli modo nuncupatur Quarantula, vna etiam cum campo eiusdem piscarię, qui vocatur Lunada, Vara, Banni, siue alijs campis ad eandem piscariam pertinentibus cum omnibus adiacentijs, pertinentijs, ripis, aquis, paludibus cum pontibus, qui Gardinacula Montiana nuncupantur, & ripatico intrantis fluminis, quod nominatur Bondino, ex vtraque parte ad duodecim pedes cum omni districtu ibidem quocunq; ordine legaliter pertinente, videlicet, terris, vineis, campis, pratis, Syluis, pascuis, ripis, piscarijs, paludibus, molendinis, aquis, aquarumq; decursibus, vel cum vniuersis quicquid in eis dici, vel nominari potest, hac nostrę confirmationis, vel largitatis pagina totum in integrum concedimus, atque Regali auctoritate corroboramus, vt perpetuo iure eadem Sancta Mutinensis Ecclesia, suiq; Rectores possideant, teneant, habeāt, faciantq; in omnibus quicquid iustum, & congruum esse cognouerint absq; contradictione, vel molestia cuiusquam. Siquis vero hoc nostrę concessionis, & confirmationis pręceptum aliquando per quodlibet ingenium infringere, vel violare temeraria prę sumptione quęsierit, aut inchoata perficere nequiuerit, sciat se compositurum auri optimi libras sexaginta, medietatem Camerę Palatij nostri, & medietatem Rectorib. eiusdem Mutinensis Ecclesię, qui pro tempore fuerint, & vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obseruetur, manu propria roboratum annuli nostri impressione iussimus annotari.

Signum Domini Berengarij Serenissimi Regis Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognoui.

Datum est Cal. Iul. anno Incarnationis Dominicę 904. anno verò Berengarii Serenissimi Regis decimoseptimo, Indictione septima.

Actum in Vrbe Ticini in Christi nomine fœliciter. Amen.

Ex supradictis duobus priuilegijs notandum est, Quarantulam fuisse locum satis insignem in agro Mirandulano, qui eo nomine appellatus fuit à quadraginta viris illustribus inibihabitantibus, ex quibus descenderunt plures nobiles familiæ, nempè Pici, Pij, Papazzones, Pandeli, Fantij, Manfredi, Passapontes, Guideti, Maluetij, Guidoti, & aliæ insignes familię, quarum quædam postmodum Mutinæ, quædam Bononiæ fixerunt sedes suas, ita ait Panin.us in Chronico rerum Mutinensium. Reperitur etiam in tabulario Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ quoddam documentum, quo asseritur Gotifredum Episcopum Mutinensem ad sacros ordines promouisse quendam Salimbertum Archipresbyterum Sanctæ Mariæ de Rubiano cum consensu Canonicorum, qui se

subscrip-

subscripserunt manu propria promotioni dicti Salimberti. Reperiuntur etiam in eodem Archiuio plura instrumẽta donationum factarum per priuatas personas Ecclesiæ Mutinensi, cui præerat ipse Gotifredus. Postremo de eodem anno 904. idem Berengarius intercessione Petri Episcopi Regiensis, & ad petitionem Gotifredi Episcopi Mutinensis concedit eidem Gotifredo Episcopo, vt in quodam suo Castro, quod de nouo ædificauerat iuxta Ciuitatem Mutinæ, possit mercatum facere, & publicum censum habere, nec aliquis Iudex valeat in eo iurisdictionem exercere, tenor autem dicti priuilegij est videlicet.

IN nomine Domini Dei ęterni. Berengarius diuina fauente clementia Rex. Si sacris,& venerabilibus locis Regalis pietas ea impertiri, & concedere studet,quibus Ecclesię Dei augumentari,& à pressuris mundari,aleuiariq; possint,credimus id ad nostrę salutis augumentum proculdubio profuturum. Nouerit igitur omnium Sanctę Dei Ecclesiæ fidelium,nostrorumq; pręsentium scilicet, & futurorum solertia, interuentu,& petitione Petri Reuerendi Sanctæ Regiensis Ecclesię Episcopi, atque Gotifredi Sanctę Mutinensis Ecclesię Pręsulis Castellum iuxta Ciuitatem nouam in territorio Mutinensi ab eodem Gotifredo veneran do Episcopo à fundamentis erectum, quod ipse propriis suis rebus acquisitum præfatę Sanctę Mutinensi Ecclesiæ, Sanctoq; Geminiano contulit, & concessit habendum per hoc nostræ concessionis pręceptum prælibatæ Sanctæ Mutinensi Ecclesiæ, Sanctoq; Geminiano, cuius sacri Corporis gleba in eodem Mutinensi Episcopio requiescit, cum omni ędificio,atque structura pura voluntate donasse,nos hunc confirmasse ha bẽdum,eo scilicet ordine,vt nullus Dux, Comes, Vicecomes, Scutarius, nullusq; Reipublicæ minister,seu quælibet parua, magnaq; persona pu blico ministerio fungens in iam dicta firmitate, atq; Castello potestatem vllam exercere, aut quicquam, quod dici, vel nominari per alium potest,vllo in tempore vindicare præsumat,sed remota omnium potesta te temeraria publicæ partis pars iam dictæ Mutinensis Ecclesię,& Episcopi,qui pro tempore inibi fuerit, præfatum Castellum cum omni integritate sua,totius potestatis inquietudine . . . . . videlicet teneat,possideat,& libera potestate ex eo ita agat,tanquam de alijs Ecclesiasticis rebus legitima,ac Canonica censura dictat agendum absque contradictione,vel molestatione cuiusq;,& si fortasse præfatus Gotifredus Reuerendus Episcopus, aut quilibet successorum eius aliquando inibi mercatum constituerit,atque collegerit, quicquid Regię, aut publicæ parti de mercato pertinere videtur, per hoc nostræ inscriptionis

statutum

statutum parti ipsius Ecclesiæ concedimus vindicandum, omni publica contradictione remota; contra quod nostræ institutionis præceptum si quis insurgere quandoq; tentauerit, sciat se compositurum libras auri optimi centum, medietatem Cameræ Palatij nostri, & medietatem prę fato Gotifredo Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Episcopo, suisq; successoribus. Quod vt verius credatur, diligentiusq; obseruetur, hic subter corroborantes annuli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Berengarij Serenissimi Regis.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Domini Ardingi Archicancellarij recognoui.

Datum decimooctauo Cal. Iul. anno Incarnationis Dominicæ 904. Domini vero Berengarij Regis decimoseptimo, Indictione septima.

Actum Villa.

Hic Episcopus post multos contractus celebratos de bonis Ecclesiæ prædictæ, qui ex multis documentis Archiuij Ecclesiæ Cathedralis apparent, tandem vitam hanc ærumnis plenam cum beata illa omnium pœnarum experte commutauit; His temporibus, videlicet de anno 911. Atho Rangonus fuit Archiepiscopus Mediolanensis, vt ex Chronicis, & Historijs Mediolanensibus apparet, &c.

VIDO.

946

AB anno 904. vsque ad annum 946. nullius Episcopi Mutinensis memoriam aliquo in loco reperire potui, & licet verisimilirer potuerit Gotifredus Episcopus superior vsque ad illud tempus viuere, ego tamen in illam adducor opinionem, vt aliquis Episcopus intermedius fuerit, cuius nomen temporum iniuria nobis sit ignotum, sed quicquid sit, satis clarū est, quod de anno 946. Ecclesiam Mutinensem administrabat Vido Episcopus, qui tunc relicto Rege Vgone cum magna populi multitudine adhęsit parti Berengarij spe, vt ait Sigonius, consequendi opimam Abbatiam Nonantulæ, quam postmodum obtinuit ab Othone Imperatore tunc Papiæ existente pridie nonas Octobris 963. rogatu Adeleidæ Augustæ. Quam defectionem præsentiens Vgo statim conuocato exercitu Vineolam Castrum Episcopi oppugnare instituit; Hic Episcopus de anno 947. obtinuit priuilegium à Lothario Rege filio Vgonis, quo concedit Vidoni Episcopo res, & salinas quondam Vitalianæ de Comaclo, vt in diplomate huiusmodi tenoris continetur.

IN nomine Domini Dei ęterni. Lotharius diuina fauente clementia Rex. Si iustis nostrorum fidelium petitionibus assensum prębemus, própriores eos in nostri obsequio fore minimè dubitamus. Quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq; præsentium scilicet, ac futurorum deuotio nouerit, qualiter interuentu, ac petitione Adalardi Episcopi, atq; Vgonis Cancellarij dilectorum nostrorum fidelium, per hoc nostrum præceptum, prout iuste, & legaliter possumus, concedimus, donamus, atq; largimur Vidoni Mutinensi Episcopo, dilectoq; fideli nostro res iuris nostri positas in Comaclensi Comitatu, quæ fuerunt iuris quondam Vitalianæ relictæ quondam Ioannis Archidiaconi, scilicet mansionem, & Curtem, & salinas, & quicquid illius iuris fuit, & proprietario ordine diebus vitæ suæ possedit. Prædictas res igitur iuris nostri in Comaclensibus finibus positas, sicut fuerunt iuris quondam Vitalianæ à nostro iure, & dominio in præfati Vidonis venerabilis Episcopi ius, & dominium omnino transfundimus, & delegamus, vt habeat, teneat, firmiterq; possideat, ipsiq; sui hęredes, habeantq; potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, per omnia iudicandi, & quicquid decreuerit eorum animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Siquis igitur huius nostri præcepti violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Camerę nostrę, & medietatem prælibato Vidoni Mutinensi venerabili Episcopo, dilectoq; fideli nostro, suisq; hæredibus. Quod vt verius credatur, diligentiusq; ab omnibus obseruetur, manu propria nostra roborantes, annulo nostro subter insigniri iussimus.

Signum Domini Lotharij pijssimi Regis.

Adelricus Leuita, & Cancellarius ad vicem Domini Bruninchi Episcopi, & Archicancellarij recognoui.

Datum Septimo Idus octobris, anno Dominicæ Incarnationis 947. Regni vero Domini Lotharii Serenissimi Regis decimoseptimo, Indictione septima.

Actum in Ciuitate Papiæ fœliciter. Amen &c.

Cum Berengarius, & Adelbertus eius filius eßent Papiæ rogatu Vidonis Episcopi Mutiuensis, & Hildeprandi Episcopi Dertonensis, conceßerunt multa bona monasterio Sancti Sixti Placentiæ de anno 950. & de eodem anno cum idē Reges eßent Papiæ rogatu Odeberti Marchionis, & Magnifredi Comitis donarunt Ecclesiæ Mutinensi, cui præerat Vido Episcopus, omnem districtum à

Castris, quod Auentus nominatur, vel Roureto, siue Ciuitas noua, vt in diplomate huiusmodi tenoris continetur.

IN nomine Sanctæ, Indiuiduæq; Trinitatis. Berengarius, & Adelbertus, diuina fauente clementia Reges. Si Sanctis, ac venerabilibus locis digna conferimus munera, animæ nostræ proficuum esse minime ambigimus. Quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet, & futurorum comperiat vniuersitas, qualiter pro Dei amore, animæq; nostræ remedio, atque interuentu, ac petitione Odeberti Marchionis, atq; Magnifredi Comitis dilectorum nostrorum fidelium per hanc nostri præcepti auctoritatem, prout iuste, & legaliter possumus, concedimus, donamus, atq; largimur, & offerimus Ecclesiæ Beati Geminiani Mutinensis Episcopi, cui pręest vir venerabilis Vido Episcopus, nosterq; dilectus fidelis, omnē districtum ab Castris, quod Auentus nominatur, vel Rouereto, siue Ciuitas noua, vel Isabardum, Toleneum quoque, & curaturam, & redhibitionem ipsius Ripariæ, & ligaturam nauium, & quicquid pars publica inibi habere, & exigere potest vsq; in fluuio Padi, tam infra aquam, quam extra prædicta Castra superius nominata, & præter de Bondino, vbi piscaria dicitur, quod ius Sancti Syluestri esse videtur, quatenus prætaxatus Præsul Vido ipsius Ecclesiæ Vicarius, suiq; successores ad potestatem eiusdem Ecclesiæ habeant, in perpetuumq; teneant, firmiterq; possideant. Præcipientes itaque iubemus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaxio, seu quælibet Regni nostri magna, paruaq; persona prælibatam Ecclesiam Mutinensem, Episcopum, suumq; Vicarium Vidonem Præsulem, eiusque successores de iam prænominatis rebus inquietare, molestare, aut disuestire præsumat, sed in tranquilla quietate, sicut à nobis largita sunt, & confirmata, perpetuo inuiolata maneant, & consistant, omnium hominum contradictione remota. Siquis igitur, quod fieri non credimus, diabolica accensus proteruia contra hoc nostrum pręceptum ire tentauerit, aut infringere præsumpserit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Camerę nostræ, & medietatem prætaxatæ Ecclesiæ, suisque Vicarijs, quod vt verius credatur, diligentiusq; ab omnibus obseruetur, manibus proprijs roborantes, annulo nostro subter iussimus insigniri.

Signa Dominorum . . . . . Berengarij, & Adelberti pijssimorum Regum.

Ruber-

Rubertus Cancellarius ad vicem Burningi Episcopi, & Archicancellarij recognoui.
Datum decimodie Cal. Feb. anno Dominicæ Incarnationis 950. Regni vero pijssimi Berengarij,& Adelberti Regum primo, Indictione nona; Actum Papię fœliciter. Amen.

De anno 960. cum Pontifex Maximus cum Archiepiscopo Mediolanensi; & reliquis Episcopis,& Principibus Italiæ per litteras rogauerint Othonem Regem, vt cum exercitu in Italiam contra Berengarium veniret, verisimile est, ipsis litteris subscripsisse etiam Vidonem tunc Mutinensem Episcopum, qui erat vir multum insignis,& multæ auctoritatis, præcipue apud ipsum Othonem Regem, qui de anno 963. Id. Septembris eidem Vidoni donauit multa bona, quæ fuerunt Vidonis,& Conradi filiorum Berengarij,& Villæ vxoris, sita in agro Mutinensi, & Bononiensi, vt apparet in amplissimo priuilegio eidem concesso, in quo dictum Vidonem appellat Archicancellarium,& Consiliarium suum, cuius priuilegij tenor est.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho diuina ordinante clementia Imperator Augustus. Si nobis deuote famulantibus beneficia nostræ clementiæ largimur, fideliores eos nobis fore non dubitamus. Quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq; præsentium scilicet,& futurorum nouerit vniuersitas, qualiter nos consultu, ac interuentu Adeleidæ dilectæ Coniugis nostrę, Regnorumque nostrorum Consortis, per huius nostri præcepti paginam proprietario iure concedimus, seu donamus Vidoni venerabili Episcopo, dilectoq; nostro fideli, Summoq; Regnorum nostrorum Consiliario omnes proprietates, vel res, quæ per qualiacunq; instrumenta chartarum obuenerunt Vidoni quondam Marchioni, seu Conrado, qui & Cono dicitur, filiis Berengarii, seu Villæ ipsius Berengarii vxoris, eorumq; matris, tam in Comitatu Mutinensi, seu Bononiensi vna cum terris, agris, mansionibus, campis, pratis, Syluis, vineis, salectis, sationibus, aquis, aquarumq; decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, montibus, alpibus, vallibus, planitiebus, seruis,& ancillis, mobilibus,& immobilibus rebus, omnia,& ex omnibus in integrum prætaxato venerabili Episcopo Vidoni, dilectoq, nostro fideli donamus, atq; largimur, & ex nostro iure,& dominio in eius ius,& dominium omnino transfundimus, ac delegamus, vt iure proprietario habeat, teneat, firmiterq; possideat, habeatq; potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, pro anima iudicandi,

vel quicquid eius animus exinde decreuerit faciendi, omnium contradictione remota, & si de ipsis acquisitionibus infra Comitatum Regiensem inuenire poterit, in hac nostra donatione permaneat. concedimus etiam, vt in qualicunq; persona de ipsis instrumentis chartarum inueniri poterit, & reddere noluerit, aut sacramento firmet, quod ipsas firmitates non habuisset, aut centum marcas auri componat. Præcipientes denique iubemus, vt si illi necesse fuerit, à Comite, seu nostro Misso, vel à reliquis exactoribus Reipublicæ inquisitio ei concedatur, ac si de rebus iuris Regni nostri, per quam inquisitionem ipse prædictus Episcopus ipsas res acquirere possit. Siquis igitur huius nostræ auctoritatis, seu donationis præceptum infringere, vel violare tentauerit, sciat se cōpositurum auri optimi libras triginta, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem præfato Episcopo Vidoni, vel cui ipse dederit, aut habere statuerit. Quod vt verius credatur, & diligentius ab omnibus obseruetur, iussimus inde hoc præsens præceptum conscribi, manuque propria roborantes, annulo nostro in calce sigillari iussimus.
Signum Domini Othonis Magni, & Inuictissimi Imperatoris Augusti.
Linegorius Cancellarius ad vicem Vidonis Episcopi, & Archicancellarij recognoui, & subscripsi.
Datum ij. Id. Septembris Anno Dominicæ Incarnationis 963. Indictione septima, anno Imperij Magni Othonis Imperatoris Augusti secundo.
Actum in Monte feretri ad petram Sancti Leonis.

Postremo hic Episcopus administrata per plures annos pie, ac Sancte Mutinensi Ecclesia, tandem suum clausit diem extremum.

HILDEPRANDVS.

970 *VIdoni successit Hildeprandus, qui ab Othone Imperatore Augusto Ferrariæ existente obtinuit amplissimum priuilegium ad fauorem suę Ecclesiæ, cuius tenor est infrascriptus.*

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho Dei miseratione Imperator Augustus. Si sacris, ac venerabilibus locis digna conferimus

munera,

munera, animæ nostræ proficuum esse minime ambigimus, quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumq; præsentium scilicet, ac futurorum nouerit vniuersitas; qualiter pro Dei amore, animæq; nostræ remedio, atque interuentu, ac petitione dilectæ Coniugis nostræ Adeleidę per hanc nostri præcepti auctoritatem concedimus, donamus, atq; largimur, & offerimus Ecclesię Beati Geminiani Mutinensis Episcopi, cui pręest vir venerabilis Hildeprandus Episcopus, nosterq; dilectus fidelis omnem districtum Castri Ciuitatis nouę, deinde Aqualonga, & exinde Sicla, Toloneum quoque, & curaturam, nec non & redhibitionem ipsius ripæ, & ligaturam nauium, & quicquid pars publica inibi habere, & exigere potest vsq; in fluuium Padi, tam infra aquam, quam extra, quatenus prætaxatus Hildeprandus Pręsul ipsius Ecclesię . . . suiq; successores ad partem eiusdem Ecclesię habeant, in perpetuum teneant, firmiterque possideant. Præcipientes itaq; iubemus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Scutarius, seu quælibet Regni nostri magna, paruaq; persona pręlibatam Ecclesiam Mutinensem, Episcopium, suumq; Vicarium Hildeprandum Pręsulem, eiusq; successores de iam prænominatis rebus, & locis inquietare, molestare, infringere, aut disuestire pręsumat, sed in tranquilla quiete cuncta, sicut à nobis largita sunt, & confirmata, perpetuo inuiolata maneant, & consistant, omnium hominum contradictione remota. Siquis igitur, quod futurũ non credimus, diabolica accensus proteruia contra hoc nostrum præceptum ire tentauerit, aut infringere præsumpserit sciat, se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostrę, & medietatem prætaxatę Ecclesię, & Hildeprando Episcopo, suisque successoribus. Quod vt verius credatur, diligẽtiusq; ab omnibus obseruetur, manu propria roborantes annulo nostro subter iussimus insigniri.

Signum Serenissimi Othonis Imperatoris Augusti.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Ariberti Episcopi, & Archicancellarij recognoui, & subscripsi.

Datum vndecimo Cal. Aprilis, anno Dominicę Incarnationis 970. Imperij vero Domini Othonis pijssimi Cęsaris nono, Indictione decimatertia.

Actum Ferrarię in Dei nomine fœliciter. Amen.

De anno postea 973. die nono Septembris Honestus Archiepiscopus Rauennæ habuit suorum Episcoporum Conuentum in agro Mutinensi, in loco, qui dicitur Marzalia, propè flumen Siclę, in quo decreta sunt ea, quæ ad commodum Ecclesiarum

clesiarum pro temporum conditione pertinere visa sunt, & licet Sigonius asserat, hunc Conuentum habitum fuisse Rauennæ, tamen cum acta dicti Concilij reperiantur in tabulario Ecclesiæ Mutinensis, in quibus apparet, dictum Conuentum habitum fuisse Marzalię, concludendum videtur, dictum Sigonium falli, in quibus actis tamen nulla fit mentio Episcopi Mutinensis. acta autem dicti Concilij, quæ reperiuntur in Archiuio, sunt infrascripta &c.

IN nomine Sanctæ, Indiuiduæq; Trinitatis. Anno Dominicę Incarnationis 973. Apostolatus Domini Benedicti primo, Imperij vero Domini Othonis Octauo, Pontificatus Domini Honesti Rauennatis Metropolitani tertio. Dum ab eodem Sacrosancto Honesto Archiepiscopo, suisq; Suffraganeis, scilicet Ioanne Episcopo Corneliensi, Gerardo Episcopo Fauentino, Dodone Cetinato, Alberto Bononiensi, Vberto Parmensi, Sigulfo Placentino in Capella Iuris Sanctę Parmensis Ecclesię in loco Marzalia sita, ad honorem, vocabulumq; Sanctæ Marię dedicata, Sancta Synodus de quibusdam necessarijs, ac vtilimis Regni Ecclesiarum status rebus habita coleretur, peruentum est, vt Albertus Episcopus Bononiensis in medio illorum assurgens inopiam sui Episcopij adeo conquestus est, quatenus suarum Ecclesiarum Sartatectis clericorum, pauperumvè sumptibus necessaria suppeditare nullatenus valeret, inter cœteras deniq; suæ inopię angustias quędam loca iuxta Bononiam sita ab Vberto Parmensi Episcopo tunc temporis detenta iuris suæ Ecclesię, videlicet Bononiensis esse pœnitus conclamabat. Cuius quidem incessabilibus querelis pręlibatus Dominus Archiepiscopus commotus Vbertum Parmensem Episcopum omni affectione, quid ad eum prædicta loca pertinerent, discussit. Tunc demum prefatus Vbertus Episcopus eadem loca suæ Sanctę Parmensis Ecclesiæ, sibiq; quarundam scriptionum titulo ex quorundam prędecessorum suorum Episcoporum parte deuenisse professus est. Enimuero Dominus Archiepiscopus, vniuersiq; Episcopi, Comites cuncti, omnisq; populorum Cœtus Vberto Episcopo suggesserunt, quatenus prędicti amore, pręsentiaq; Domini Metropolitani, suorumq; sociorum, & fratrum, prędictũ Bononiensem Episcopum non iure fori ventilaret, sed potius illius Episcopio diligentiam adhibens, res omnes illas, de quibus super eum hactenus querebatur, Bononiensi Ecclesię, ipsiq; Vberto Episcopo legaliter refutaret; Et vt ille Vberto Episcopo, sueq; Parmensi Ecclesię ob hoc proprietario iure Plebem Sanctæ Mariæ de Montebellio concederet, & in duobus locis tornaturas vinearum triginta, videlicet in primo

loco

loco iuxta monasterium Sancti Isaię vineam vnam, quæ tribus vijs publicis circundatur, quarto latere cohęret terrę Gausipigę, alteram vero propè monasterium Sancti Ioannis sitam, quæ similiter tribus vijs publicis circundatur, quarto latere cohęret terrę, quam detinet Dominicus filius Petri Britonis, nec non & terrulam iugerum decem in finibus ipsius Parmensis Episcopij iacentem, molendinumq; cum Fullone pariter super se habentem, vnanimiter omnes decreuerunt. Quorum quidem consultibus ambo, tam Vbertus Parmensis Episcopus, quamque Albertus Bononiensis adquiescentes, prout perscriptum est, alternatim vnum alteri in eorum præsentia concessit, sicq; in eadem synodo Sancta deffinitum est, vt posthac à nemine illorum, suorumq; successorum replicetur. Sin autem quispiam illorum deinceps temerario ausu hanc Canonicam, Synodalemq. censuram transgredi quoquomodo tentauerit, tam Vbertus Episcopus quamq. Albertus, suiq; etiam successores, decreuit Sancta Synodus libras centum auri, vt violator iniuriam patienti componat, hæc tamen decreti pagina in suo vigore consistat. Itaque pari consensu tam Dominus Archiepiscopus, quamq; omnes pretaxati Episcopi sanxerunt, quatenus hæc synodalis institutio in perpetuum inconuulsa permaneat, & vt ab omnibus pręsentibus videlicet, & futuris firmius obseruetur, huic subscripserunt.

Honestus Dei nutu Sanctæ Rauennatis Ecclesię Metropolitanus Archiepiscopus huic deffinitioni interfui, deffiniens annui, & subscripsi.

Ioannes Episcopus Sanctę Cornelię Ecclesiæ in hac definitione interfui, & subscripsi.

Gerardus Episcopus Sanctę Fauentinę Ecclesię huic definitioni interfui & subscripsi.

Albertus Episcopus Sanctę Bononiensis Ecclesię subscripsi, huic definitioni interfui.

Idemmet Episcopus anno Incarnationis Dominicæ 983. concessit cuidam Stephano presbytero illum locum, vbi iam Ecclesia Beati Petri Apostoli constructa fuerat, vt inibi Oratorium vnum valeret fabricare, in quo Deum omnipotentem iugiter exorare posset, & vna cum dicto loco concessit ei alia bona, prout in documento desuper confecto, quod est huiusmodi.

IN nomine Sanctę, & indiuiduę Trinitatis. Hildeprandus per Christi misericordiam Ecclesię Mutinensis Episcopus, omnibus fidelibus nostrę Ecclesię notum vobis esse volumus, qualiter quidam venerabilis presby-

presbyter nomine Stephanus nostram est deprecatus clementiam, vt pro Dei amore ei concederemus illum locum, vbi iam Ecclesia Beati Petri Apostoli fuit ędificata, qualiter inibi vnum oratorium valeret cōstruere, in quo Dominum omnipotētem iugiter exorare posset. Nos autem ob amorem, & timorem Domini nostri Iesu Christi, nostręq; remedio animæ, nostrorumq; successorum audientes eius petitionem libentissime concessimus. Quapropter considerantes nos, quod illius orationibus, & aliorum ibidem seruientium tam nos, quam successores nostri indulgentiam de peccatis nostris à Domino accipere credimus, idcirco concedimus, & donamus eidem ipsum almum locum, vt idem prænominatus Stephanus, & presbyter, suiq; successores habeant perpetuo, & teneant, & secundum eorum voluntatem ordinent, & faciant exindè, qualiter illis placuerit, hoc est illam terram, quæ est in fine desuper strata Salecitanam vsq; in fossam militariam, & vltra fossam militariam, illam terram, quæ laborata est per Gaudemarium, seu cœteros homines ibidem laborantes vsq; in Syluam vna cum prato, quod dicitur de Raginbaldo, & fine fossato nouo in fossam militariam currente, & fine fossato, qui exijt de fossato nouo in Motina currente, & desubtus fine nostro prato dominicano cum introitu, & exitu vndiq;, vt illis, qui in ipsum Sanctum locum Deo seruierint, aliquam substentationem pro remedio animæ nostræ, nostrorumq; successorum exinde habeant, & detineant iure perpetuo. Siquis, quod absit, instigante diabolo, per cupiditatem, aut aliquam rationem hoc infringere tentauerit, à Sancta Trinitate, atq; Indiuidua Vnitate sit condemnatus, nisi emendauerit, & insuper iram Dei omnipotentis incurrat, & à consortio omnium Sanctorum excommunicatus habeatur, & in die Iudicij non cum illis inueniatur qui sua ad Christi Ecclesiam concesserunt, sed cum illis potius, qui de Ecclesia illic concessa iniuste tulerunt, & emendare noluerunt, & nulla illius auctoritas vnquam à suis successoribus possit obseruari, his autem prædicta obseruantibus pax, & misericordia, seu benedictio, atque hęreditas à Domino, & Sāctis eius tribuatur ęterna, infringentibus quoque, & emendare nolentibus ira, & odium, atq; rixę, perpetuaq; maledictio à Domino, & Sanctis eius, hic & in ęterna sęcula concedatur. Actum est autem hoc anno Incarnationis Dominicę 983. anno vero Domini Othonis Serenissimi Imperatoris Augusti decimosexto, Pontificatus autem eiusdem Pręsulis Hildeprandi decimoquarto, sexto Id. Augusti per Indictionem sextam. Actum Mutinæ.

Hildeprandus Episcopus in hoc decretum à me factum subscripsi.

Ego

Ego Radeldus Archidiaconus in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Oddo presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Liuius presbyter.m.m.s.s.
Ego Andreas presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Ioannes presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Israel presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Ioannes presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Mutinensis diaconus in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Dominus diaconus, & Primicerius Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ in hoc decretum non coactè, sed sponte.m.m.s.s.
Ego Garoaldus presbyter in hoc decretum.m.m.s.s.
Ego Mauritius presbyter.m.m.s.s.
Ego Sigifredus diaconus in hoc decretum manu mea subscripsi.
Ego Andreas diaconus in hoc decretum manu mea subscripsi.
Scripsi Ego Florius Archipresbyter hoc priuilegium cõcessionis ex iussione Domini Hildeprandi Episcopi post roboratum compleui, & dedi.

De anno 988. cum quidam monachus Nonantulæ nomine Petrus obtinuisset ab Hildeprando Episcopo, vt cum præfato Stephano presbytero, & monacho se sociare posset, tandem instigante diabolo in modum latronis priu legia omnia concessa ipsi Stephano furatus est, & surripuit, tentauitq; per pecuniam habere medietatem Ecclesiæ prædictæ cum suis pertinentijs, quod abhorrens Hildeprandus ipsum Petrum maledixit, & dicto Stephano priora priuilegia confirmauit. Hic Episcopus factis pluribus contractibus, quorum documenta apparent in Archiuio Ecclesiæ Cathedralis, post administratam pie, ac sanctę Ecclesiam Mutinensem per plures annos, tandem senio confectus de anno 982. viam vniuersæ carnis est ingressus.

IOANNES.

993 *Post Hildeprandũ Mutinensem Ecclesiam suscepit gubernandam Ioannes, qui quantæ fuerit Sanctitatis, ac pietatis, apparet ex instrumento, quo de anno 996. erexit in monasterium Ecclesiam Sancti Petri, illudque fundauit sub Regula Sancti Benedicti, quod instrumentum est huiusmodi, &c.*

IN nomine Patris & filij & Spiritus Sancti. Postquam omnium Conditor me Ioannem omnium sacerdotum humillimum, atq; ad sacer-

dotalis officij culmen indignum ad tantum honorem, ad cuius minimã partem pertingere dignus nõ fui in Sancta Mutinensi Ecclesia, cui Deo auctore deseruio, sublimare dignatus est, sępe in animo cogitare cœpi, quid melius, quid vè Deo dignius in eadem Sancta Ecclesia peragere valerem, quod diuturnis temporibus Christo Iesu placere posset, meq; vnius talenti defossi torpore damnandum existimans, si ager Dei meo aliquo non exuberaret commodo, tunc demum euolutis omnibus nihil Deo carius facere posse deliberaui, quam si in Ecclesia iuxta Ciuitatem Mutinam sita ad honorem Beatissimi Petri Apostolorum Principis dedicata, Cœnobium monachorum construerem, ideoq; omnibus Orthoxæ fidei cultoribus notum sit, quia idem opus Deo auxilium pręben te facere statui, & tam Imperatores, quam Reges, ipsosq; Duces, Marchiones, & Comites, omniumq; maiorum senatus præsentes scilicet, & futuros per trinum, & vnum Deum, Sanctosq; omnes adiuro, & obtestor, vt ea, quæ per pręsentem paginam statuo, & iudico, inconuulsa, & intemerata in perpetuum manere possint, consilium, & auxilium præbeant, & siquis temerarius in aliquo rumpere tentauerit, omnimodis renitantur, & id fieri non permittant; Itaque cum consensu, & notitia omnium eiusdem Ecclesiæ Canonicorum, eiusdemq; Ciuitatis militum, & populorum in vsum, & sumptum fratrum monachorum, qui in supradicto Cœnobio Beatissimi Apostolorum Principis pro tempore famulati fuerint, habendum, atq; fruendum constituo, & nominatim hoc est terram illam, cui est finis à Septẽtrione strata Salecitana vsq; in fossa militaria, & vltra fossam militariam, illam terram, quæ est laborata per Gatemarium, seu cœteros homines ibidem laborantes vsq; Cenosam, siue etiam fossatum nouum decurrens in supradictam militariam, ab occidente vero est riuus, qui de iam prælibato nouo fossato exiens decurrit vsque ad fossam, quæ dicitur Mutina vndiq; vsque ad pratum nostrum Dominicatum cum introitu, & vndiq; cum eius legitimo exitu, seu cum decimis, atq; offersionibus, nec non & sepulturis ibidem pertinentibus; insu per etiam concedimus massaritiam vnam, quæ est sita in loco, qui dicitur Alciano, & est laborata per Stephanum, atq; Martinum massarios. Hæc omnia supradicta in vsnm, & sumptum supradictorum monachorum constituo, & Sancio, statuo quoq;, vt tot fratres in eadem Congregatione maneant, quibus victus, & vestitus sufficere possit, Abbas quoq; nullus per vim ingeratur; sed ex eadem Congregatione, qui melior ₰m Deum visus fuerit, proponatur, & si ibi talis inuentus non fuerit, ex alijs monasterijs exquiratur, qui ₰m Deum, & Regulam sancti Be-

cti Benedicti eos regere satagat,& nihil vnquam prętij pro ordinatione recipiatur, nemo vnquam fratrum aliquid proprij habere tentet, sed omnib.omnia sint cõmunia,nullus quoq; pro obedientia mittatur, nisi quem grauitas morum,& bonæ actionis conuersatio probabilem reddit,sed regulariter secundum institutionem Sancti Benedicti viuant,& domum Hospitalem habeant, vbi secundum morem hospites de decimis laborum suorum recipiant; concedimus etiam supradicto Cœnobio vineam vnam iuxta Castrũ vetus, quam tenet Restanius Gastaldio per pręcariã cum decima ipsius vineę. Siquis igitur Episcopus, aut quælibet magna, paruaq; persona Sancti Petri Apostolorum Principis Cœnobium,quod nos Deo fauente construimus, aliquo in tempore infringere,aut diminorationem terrarum illius, quas nunc habere videtur,vel in futuro idem Cœnobium acquisiturũ est,facere tentauerit, cũ Anania,& Saphira qui pręciũ suarum rerum Apostolis fraudauerunt, nec non & Iuda Christi venditore partem habeat, & anathematis vltione percussus in hoc sęculo, & in futuro maledictionem consequatur æternam. Et vt hoc nostrum testamentum omnibus clareat, & stabile, & inconuulsum permaneat,manu propria firmantes diuersi ordinis clericis,nec non & laicis obtulimus roborandum. Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi. *996*. Indictione octaua.

Ego Ioannes Sanctæ Mutinensis Ecclesię indignus Episcopus huic instituto à me facto subscripsi.
Ego Oddo Archiprębyter subscripsi.
Ego Sigifreddus Archidiaconus subscripsi.
Ego Liuizo prębyter.m.m.s.s.
Ego Dominicus prębyter.m.m.s.s.
Ego Andreas prębyter.m.m.s.s.
Ego Mutinensis prębyter.m.m.s.s.
Ego Heribertus diaconus.m.m.s.s.
Ego Doneius prębyter.m.m.s.s.
Ego Andreas prębyter.m.m.s.s.
Ego Mutinensis prębyter.m.m.s.s.
Ego Aribertus diaconus.m,m.s.s.
Ego Dominicus diaconus,m.m.s.s.
Ego Garoaldus prębyter.m.m.s.s.
Ego Geminianus diaconus.m.m.s.s.
Ego Dominicus diaconus,m.m.s.s.
Ego Orsouertus diaconus.m.m.s.s.

Ego Ioannes Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ diaconus hoc decretum ex iussione Domini Ioannis Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Episcopi libenter scripsi, postq, roboratum compleui, & dedi.

Idem Episcopus de anno 998. qui erat annus quintus sui Præsulatus, eidem Cœnobio donauit multas proprietates, & bona vt in instrumento huius tenoris apparet.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi Ioannes seruorum Dei seruus Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ diuini muneris iuuamine humilis Episcopus, omnibus Sāctorum Dei Ecclesię fidelibus pręsentibus videlicet, & futuris perspicuum, compertum, notumq, esse volumus, qualiter interuentu venerabilium nostrorum fidelium sacerdotū, videlicet ac leuitarū, nec non & laicorum, Ioannes Sanct. Petri Apostolorum Principis venerabilis Abbas eiusdem Abbatiæ in suburbio sitæ nostram humiliter adierit clementiam iuste obsecrans, & obnixe petens vnanimis cum nostris prædictis fidelibus, quatenus ipsi Abbatiæ Deo fauente à nobis initiatæ, terram, quæ huic instituto subter est annexa, concedere dignaremur; nos autem pro Dei omnipotētis timore, Apostolorum Principis Petri condigno honore, nostręq; remedio animæ, ac nostrorum successorum, pijs petitionibus acquiescere curauimus, non minima fidelitate debita prouisa quam plurimum considerantes, & omni animi intentione scilicet perscrutantes, & vigili solertia pensantes, dignum duximus, vt ea, quæ ad Sanctorum petuntur vtilitatum, hilari corde, & celeri metu sunt offerenda. Itaq; cum consensu, & notitia omnium eiusdem Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, eiusdem Ciuitatis militum, & populorum in vsum, & sumptum fratrnm monachorum, qui in supradicto Cœnobio Beatissimi Petri Apostolorum Principis pro tempore famulati fuerint, habendum, atq; fruendum constituo, & nominatim singula quęq; obtuli, huic paginæ inserere curaui, idest Dominicatum nostrum de Turri, vineas, & terram arabilem, quæ ad nostram detineri videbatur manum, statuimus etiam, vt ipsi nostri homines de Turri tam hi, qui nunc sunt, quamq, posteri perpetim ibidem morantes ad opus, & iussionem prædictorum fratrum iam dictas vineas, & terram excolerent, & laborare debeant, & pro tempore ipsas vineas vindemiare; concedimus etiam massaritiam vnam in Massa, quę recta, & laborata fuit per Dominicum Malapelli, damus etiam eodem modo prædicto Cœnobio molendinum vnum supra Ciuitatem Mutinam

in loco

in loco qui dicitur Carolinus, cum decem iugeribus de terra inter paludes, & syluas quinq, supra ipsum molendinū, & quinq; subtus cum accessione, & aquario suo; adiuro namque, & obtestor, tam Imperatores, quam Reges, quamq; Episcopos, Duces, Marchiones, & Comites, omnesq, maiorū Senatus pręsentes scilicet, ac futuros per trinū, & vnum Deū, Sanctosq; omnes, vt ea, quæ per præsentē paginā statuo, & iudico, inconuulsa, & intemerata in perpetuū manere possint, consilium, & auxiliū præbeant, & siquis temerarius in aliquo rumpere tentauerit, omni modis renitātur, & id fieri nō permittāt, ideoq; rata cōscriptione confirmantes quatenus nostri successores affectum nostri pectoris, deuotionemq; perpendentes, quæ semel Sancto deuouimus, & mancipauimus Cœnobio, inuiolata, atq; illęsa permanere concedant, vt nobis quasi inchoantibus, & illis perficientibus vna sit pręmij merces, eademq; Regni Cœlestis retributio, illumq; pariter Beatissimum Apostolorum Principem, cuius hæc sunt digesta amore, apud Deum obtinere mereamur interuentorem, & nos qui sancimus, & hi qui Sancita stabiliunt. Siquis igitur Episcopus, aut quælibet magna, paruaque persona Sancti Petri Apostolorum Principis Cœnobium, quod nos Deo fauente construimus, aliquo in tempore infringere, aut diminorationē terrarum illius, quas nūc habere videtur, vel in futurum idem Cœnobium adquisiturū est facere tentauerit, cum Anania, & Saphira, qui pręcium suarum rerum Apostolis fraudauere, nec non & cum Iuda Christi venditore partem habeat, & anathematis vltione percussus in hoc sęculo, & in futuro maledictionem consequatur ęternam, vt autem hęc nostra pagina certior cunctis pateat, & firmior in posterum habeatur, manibus proprijs confirmauimus.

Actum est autem anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi nongentesimo nonagesimo octauo, Domini vero Othonis Imperatoris tertio, Indictione vndecima, Pręsulatus Domini Ioannis Episcopi quinto.

Ego Ioannes Sanctę Mutinensis Ecclesiæ indignus Episcopus huic instituto à me facto subscripsi.

Ego Sigifredus Archidiaconus. m.m.s.s.
Ego Oddo Archipręsbyter m.m.s.s.
Ego Andreas pręsbyter m.m.s.s.
Ego Mutinensis pręsbyter.m.m.s.s.
Ego Liuizo pręsbyter.m.m.s.s.
Ego Dominicus pręsbyter.& Vicedominus.m.m.s.s.
Ego Garoaldus pręsbyter.m.m.s.s.

Ego

Ego Dominicus diaconus.m.m.s.s.
Ego Ioannes presbyter. m.m.s.s.
Ego Geminianus diaconus.m.m.s.s.
Ego Ioannes Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ diaconus hoc institutum ex iussione Domini Ioannis Sanctæ Mutinensis Ecclesię Pręsulis scripsi, postq; roboraui, compleui, & dedi.

Hęc duo instrumenta hic libuit apponere, quia ex ijs cognoscitur tum dicti Præsulis humilitas, ac pietas, tum etiam origo, & fundamentum venerabilis Abbatiæ Diui Petri Mutinensis. Cum sedente hoc Episcopo Gerebertus Archiepiscopus Rauennę Cal. Maij. 997. Concilium habuerit Episcoporum omnium, qui Rauennati Ecclesię subijciuntur ad res constituendas ipsius Rauennatis Ecclesiæ, cui Concilio etiam interfuit Otho Imperator, verisimiliter etiam interesse potuit hic Episcopus, qui Ecclesiam Mutinensem administrabat, qui post multos contractus Ecclesiæ per eum celebratos, vt ex documentis Ecclesiæ Cathedralis constat, tandem obdormiuit in Domino.

VARINVS.

1003 *EPiscopus Varinus iure precario concessit Petrono de Pago, & eius Vxori, & filijs vsq; in tertiam generationem dimidium Castri, appellato Castelnouo cum fossato, & Capella ibi ędificata in honorem Sanctæ Mariæ, & Sancti Michaelis, eidemque Varino tempore Henrici Imperatoris Raimaldus filius quondam Athoni, & Rosa Iugales donarunt duas domos soleratas, & Curtem vnam cum Capella Sancti Nicolai, & Turri, atque sala vna murata in Ciuitate Ticinensi propè portam, quæ dicitur de Viridario, sicut etiam quędam Valderada donauit eidem Cautum vnum in eadem Ciuitate, & in eodem loco. De anno 1005. idem Varinus donauit, & confirmauit Cœnobio Sancti Petri multa bona, de quibus in instrumento desuper confecto, quod est huiusmodi.*

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Postquam omnium Conditor me Varinum omnium sacerdotum humilimum, atq; ad sacerdotalis officij culmen indignum ad tantum honorem, ad cuius minimam partem pertingere non fui dignus, in Sancta Mutinensi Ecclesia, cui Deo auctore seruio, sublimare dignatus est, sępe in animo cogitare

cœpi,

cœpi, quid melius, quid ve Deo dignius in eadem Sancta Ecclesia peragere valerem, quod Iesu Christo diuturnis temporibus placere posset, tunc demum euolutis omnibus, nihil Deo carius facere posse deliberaui, quam si monasterium situm iuxta Mutinam in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis aliquo meo subleuarem commodo, ideoque omnibus orthodoxæ fidei cultoribus notum sit, qualiter venerabilis Ioannes prædicti monasterij Abbas nostram humiliter adierit clementiam, quod omnia, quæ ei, ac supradicto monasterio à meis prędecessoribus collata, similiter consentire, ac concedere dignaremur, quatenus idem opus Deo auxilium prębente sub nostro regimine fructificaret, quapropter ea, quæ petijt, libentissime concessimus; vnde tam Imperatores, quam Reges, quamq; Episcopos, Duces, Marchiones, & Comites, omnesq; maiorum senatus præsentes scilicet ac futuros per trinum, & vnum Deum Sanctosq; omnes adiuro, & obtestor, vt ea, quæ à meis antecessoribus prælibato Cœnobio cõcessa sunt, & ea, quæ ex mea parte ei adiungo, per pręsentem paginam statuo, & iudico, vt inconuulsa, & intemerata in perpetuum possint manere, consilium, & auxilium præbeant, & siquis temerarius in aliquo rumpere tentauerit, omnimodis renitantur, & id fieri non permittant. Itaque cum consensu, & notitia omnium eiusdem Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, eiusdemq, Ciuitatis militum, ac populorum in vsum, & sumptum fratrum monachorum, qui in supradicto Cœnobio pro tempore famulati fuerint, habendum, atq fruendum constituo, seu confirmo, & nominatim hoc est terram illam, cui est finis à Septentrione strata salecitana vsque in fossam militariam, & vltra fossam militariam, illam terram, quæ est laborata per Gademarium, seu cœteros homines ibidem laborantes vsq; Cenosam, siue etiam fossatum nouum decurrens in supradictam militariam, ab occidente vero est riuus, qui de iam dicto fossato exiens nouo decurrit, vsq; in fossam, quæ dicitur Mutina, vndeq; vsque ad pratum nostrum Dominicatum cum introitu, & vndiq; sectis legitimo exitu cũ decimis, atq, offersionibus, seu sepulturis ibidem pertinentibus; donamus etiam iam dicto Cœnobio campum vnum continentem iugera octo vltra fossam milenariam à solis ortu, & desubto ipso monasterio habente à meridie & sera Sancto Geminiano; concedimus namq; massaritiam vnam, quæ est sita in loco, qui dicitur Axiano, & est laborata per Stephanum, atq; Martinum massarios; insuper concedimus supręfato Cœnobio Currẽ vnam, quæ dicitur Apiua, & Castrum de Adiano cum omnibus ad supradictam Curtem pertinentijs, scilicet Casteluetrum

cum

cum vineis, pratis, ſyluis, terris cultis, & incultis; concedimus etiam terram iuxta Castrum vetus, quam tenet Reſtanius Gaſtaldio per pręcariā inter vineatam & arabilem & pratiuam iugera quatuor cum decimis ipſius terræ; conferimus etiam prænominato Cœnobio Dominicatum noſtrum de Turri cum omni integritate ideſt terra arabili vineata cum fraſcario ſuper ſe habente, ſtatuimus etiam, vt ipſi noſtri homines de Turri, tam hi qui nunc ſunt, quam poſteri perpetim ibidem morantes ad opus, & iuſſionem prædictorum fratrum monaſterij iam dictas vineas, & terram excolere & laborare debeant, & pro tempore ipſas vineas vindemiare; damus etiam prædicto Cœnobio molendinum vnum ſupra ipſam Ciuitatem Mutinam in loco, qui dicitur Gaiolinus, cum decem iugeribus de terra quinq, ſupra ipſum molendinum & quinq; inferius cum acceſſione, & aquario ſuo, in Maſſa etiam donamus maſſaritias duas, vnam, quæ recta, & laborata fuit per Dominicum Malapellæ, alteram, quæ laborata eſt per Ioannem Leongni; hęc omnia ſupra dicta in vſum, & ſumptum ſupradicti monaſterij fratrum conſentio & confirmo. Deniq; nos rata conſcriptione hoc inſtitutum cōfirmantes, quatenus noſtri ſucceſſores affectum noſtri pectoris, deuotionemq; perpendentes quæ ſemel ſancto deuouimus, & mancipauimus Cœnobio, inuiolata atq; illęſa permanere concedamus. Siquis igitur Epiſcopus, aut quælibet magna, paruaq; perſona Sancti Petri Apoſtolorum Principis Cœnobium, quod nos Deo fauente confirmamus, & dono noſtro ſublimamus, aliquo in tempore infringere, aut diminutionem terrarū illius, quas nunc habere videtur, vel in futuro idem Cœnobium Deo auxiliante adquiſiturum eſt, facere tentauerit, cum Anania, & Saphira, qui pretium ſuarum rerum Apoſtolis fraudauerunt, nec non & cum Iuda Christi proditore partem habeat, & anathematis vltione percuſſus in hoc ſęculo, & in futuro maledictionem conſequatur ęternam, & vt hoc noſtrum teſtamentum omnibus clareat, & ſtabile, & inconuulſum permaneat, manu propria firmantes diuerſi ordinis clericis, nec non & laicis obtulimus roborandum.

Actum eſt autem anno Dominicæ Incarnationis milleſimoquinto, Indictione tertia.

Varinus Chriſti miſericordia Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus in hoc decreto à me facto ſubſcripſi.

Ego Sigifredus Archidiaconus. m. m. s. s.

Ego Oddo Archipręsbyter. m. m. s. s.

Ego Viteuerſus diaconus, & præpoſitus. m. m. s. s.

Ego

Ego Doninus præsbyter, & primicerius. m. m. s. s.
Ego Modonesus præsbyter. m. m. s. s,
Ego Cigardus pręsbyter. m. m. s. s.
Ego Gisulphus Iudex sacri Palatij, & Aduocatus Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ. m. m. s. s.
Ioannes Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ leuita hoc decretum iussu Domini Varini Episcopi scripsit.

Idem Episcopus de anno 1016. confirmauit eandem donationem prædicto Cænobio, aliaq; plura bona addidit, inter quæ Curtem de Sauignano, quam dicit per Pipinum Regem oblatam fuiße Sancto Geminiano Mutinensi Præsuli; in eodem etiam instrumento apparet, ipsum Varinum prius fuiße Primicerium Ecclesiæ Mutinensis, diploma est apud monachos Sancti Petri. Cum de anno 1006. Ciuitas graui pestilentia laboraret, hic Episcopus vna cum Bononiense extraxerunt Corpora Sanctorum Synesij, & Theopontij ex sepulchro Nonantulano, id permittente Abbate, eaq; per agrum Mutinensem circumtulerunt, & ita opportune eorum implorantes Auxilium se conseruauerunt, quæ Corpora tunc temporis plurimis editis miraculis erant illustria; & de anno 1014. cum Arnoldus Archiepiscopus Rauennæ habuerit suorum Episcoporum Conuentum, in quo ex eorum sententia acta omnia Adelberti, qui post Fredericum sedem illam inuaserat, infirmauit, debuit intereße Varinus tunc Mutinensis Episcopus, qui postmodum pluribus celebratis contractibus de bonis Ecclesiæ, vt in documentis Archiuij Ecclesiæ Cathedralis constat, vitam cum morte commutauit &c.

INGO.

1023 *VArino successit Ingo in Episcopatu, qui interuentu Vidonis Episcopi Taurinẽsis preces porrexit Conrado Imperatori, quibus petyt, vt vellet confirmare omnia priuilegia, iura, & bona Ecclesiæ Mutinensi, quod ipse Conradus Coloniæ existens decimo septimo Cal. Aprilis concessit huiusmodi sub tenore.*

COnradus diuina clementia Imperator. Norint fideles omnes quemadmodum Vido Taurinensis Episcopus nostram adijt celsitudinem, petens, vt pro amore Dei, & salute animæ nostræ omnia Sanctæ Mutinensi Ecclesiæ in honorem Sancti Geminiani Confessoris Christi

dicatę, cui Dei auctoritate pręest. Ingo Episcopus, à prædecessoribus nostris tam Regibus; quam Imperatoribus, atque religiosis hominibus collata nostra Imperiali auctoritate confirmare vellemus, cuius petitioni assentientes, eiusdemq; Beatissimi Geminiani Episcopi, & Christi confessoris implorandam assidue opem statuentes hoc præceptum fieri iussimus, quo ei concedimus quicquid ad nostrum ius pertinere videtur, terras scilicet, atque omnem districtum, domus publicas, murumque ipsius Vrbis cum Fisco, & Teloneo integro, & cum omni iure ciuili intus, & foris in circuitu vsq; ad fines, Curtes etiam ipsius Ciuitatis, ac terram propriam, Castella, Villas, Mãsos, seruos, & Ancillas, AErimanos, & AErimanas, domus, possessiones, piscationes, Syluas, montes, campos, aquas, aquarumq; decursus, & paludes habitas, & possessas à prædicto Ingone Episcopo, vel prædecessoribus eius, atque omnia aliquo inscriptionis titulo, seu inuestituræ adhuc donata, & tradita Sanctæ Mutinensi Ecclesię à quibuscunq; hominibus, donamus, concedimus, confirmamus, item donamus omnia, quæ vocata sunt Fiscalia, Comitalia, aut Vicecomitalia, quę posita sunt, aut constructa in Comitatu Mutinensi tam intus, quam foris in circuitu vsq; ad prædictos fines, ita vt Ingo Episcopus, & successores eius potestatem illic habeant per se, aut per missos suos iudicandi, distringendi, placitum tenendi, aut quod eorum vtilitas tulerit faciendi, ad incrementum & honorem ipsius Ecclesiæ, neq; aliquis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdaxio, Gastaldius, Procuratorvè vllus hanc Sanctam Dei Ecclesiam inquietet, aut mansionaticum faciat, Teloneum, districtum, placitum, aut aliam quamlibet publicam functionem exigat; Sin minus sciat se soluturum auri optimi libras ducentas, centum Fisco nostro, & centum ipsi Episcopo. Quod vt verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propria roborantes annuli nostri impressione iussimus insigniri.

Datum decimoseptimo Cal. Aprilis, Anno Domini 1039. Indictione septima, Anno Domini Conradi Regis decimoquarto, Imperatoris duodecimo. Actum Coloniæ.

Idem Episcopus perprius interuentu Gloriosissimæ, & Excellentissimæ Gislæ Reginæ, ac Coniugis prædicti Conradi obtinuerat ab eodem Conrado Cremonæ existente de anno 1026. aliud amplissimum priuilegium, in quo eidem Ingoni, & Ecclesiæ Mutinensi plura bona concessit, priuilegium autem est huiusmodi.

In

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Conradus diuina fauente prouidentia Rex pacificus. Cum locis diuino cultui mancipatis omnes opem congruam ferimus,& Regum morem decenter implemus , & id profuturum nobis ad ęternæ remunerationis præmia capescenda veraciter credimus . Notum igitur esse volumus cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus , nostrisq; præsentibus scilicet , ac futuris,quia adiens per Gloriosissimam,atq; Præcellentissimam Gislam Reginam,& Dilectissimam Coniugem nostram Serenitatem culminis nostri venerabilis Ingo Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Præsul , quæ est constructa in honorem Sancti Geminiani Confessoris,atq; Pontificis Iesu Christi,obtulit obtutibus nostris prędecessorum Regum nostrorum auctoritates,& confirmationes in quibus continebatur, qualiter prædicti antecessores nostri per eorum auctoritates siue donationes ob remedium animarum suarum , omnes res prædictas , sed etiam tam monasteria, quam xenodochia,seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones ex munificentia Regum,vel Ducum , quam ea , quæ per donationes Comitum, seu quorumlibet Deum timentium hominum , vel ea, quę per emptiones , vel quemlibet contractum ad eandem Ecclesiam olim peruenerunt, aut inantea ibidem augere voluisset, firmum, & stabile permaneret , & deprecatus est Excellentiam culminis nostri , vt non solum hoc nostro auctoritatis præcepto firmaremus,verum etiam se, & prædictam sedem sub nostra constitueremus defensione,cuius pręcibus fauentes, moréq; prædecessorum Regum sequentes , hos nostræ auctoritatis apices fieri iussimus , per quos Ciuitatem Mutinam a tribus milliarijs in circuitu omnem districtum,& placitum,& quicquid ibi iure Episcopij pertinet , videlicet paludes,syluas,aquas,aquarumq; ductus,quæ sunt posita iuxta idem Episcopium , his designatis lateribus, à mane fossa currente in Teuedo, à meridie via,quæ pergit per syluam . . . vsque in quarantinam,a sero,& subtus strata,& Plebe Sancti Nazarij in Albareto cum finibus eius Sicla , & Scultenna præcurrente , & Capella Sancti Clementis in Cessa cum curte,& finibus ipsius curtis , vnum caput in Panariam mittens,aliud in Siclam,& Plebem Sancti Vincentij in Salice to cum omnibus eorum finibus vsque in Zenam pertinentibus, & Plebem de Sorbaria cum curte . . . . & maiorem,& minorem , Plebem Sancti Petri in Siculo cum curte,& suis capellis fundatis in villa Riuariæ,& Plebem Sanctæ Mariæ in Solaria cum suis capellis,& villis vsq; in Panariam,cum omni decima,& proprietatem mediæ villę vsque ad Roborem ferratam, & omnia, quæ pertinebant Lanfranco dia-

cono Hinedulfi filio videlicet . . . . . cum Syluis, & paludibus cum trecentis sexaginta, & septem iugeribus, & curtem de Massa vsq; in Gambaram, & vsq; in fossam Muchena, & Videgoso vsq; in campum Ducis, & vsq; in flumen . . . . . à sero vero vsq; in fossam Marcam & capellam Sanctæ Fuscæ in Blancario, & curtem Sancti Seueri; à mane Flumiscello . . . . . a meridie limite de Musone, & terra de Lande cum syluis, paludibus, terris, vineis, & pascuis, & Plebẽ Sancti Felicis in Mutia cum curte, & decimas omnium illarum villarum inter stratam petrosam percurrentem iuxta Genam, & Blancarise, & flumen Genę, Mutię, & Panariæ, & decimam, quæ pertinet ad Plebẽ Sancti Felicis, in Mutia cum curte, quæ his lateribus continetur, à mane Villa, quæ dicitur Riola, a meridie strata, a sero Geraida desubto limite, quæ dicitur la Ploppa, & curtem Genæ cum omni decima, & decimam integram de Plebe Sancti Cęsarij, & Castellum de Bazano, & decimam de omnibus ibi habitantibus, & Roccham Clagnani, Castellum Liuizani cum curte, omnem decimam de Fanano, & Spilemberto, & Plebem Sancti Petri de Camillatio, & decimam de Campogaliano, & decimam de Lamise cum Capella Sanctæ Mariæ, & Sancti Martini, & domos Papiæ cum Capella; insuper etiam quas res tenent, aut iure tenere deberent Præsules prædictæ Ecclesiæ, omnes in perpetuum confirmamus; pariterq; etiam deprecatione sua apud nostram clementiam obtinuit, vt quicquid negligenter serui, aut cartulati, vel pertinentes ad eãdem Sanctam Sedem commiserunt temporibus antecessorum suorum Episcoporũ, nullam omnino inquietudinem prædictus Episcopus suis temporibus, nec Aduocatus Ecclesiæ patiatur, similiter & petijt, vt omnes res quas antecessores sui in eadem Ecclesia acquisierunt, & iure ipsius tenuerunt, præfato Præsuli, & successoribus eius absq; cuiuslibet inquietudine, vel diminutione quieto ordine liceat possidere; insuper etiã pro remedio animæ nostræ eidem concedimus Ecclesiæ, vt sicut res nostrę proprietatis in quibuslibet locis per inquisitionem manifestantur, ita res prædictæ Ecclesiæ per idoneos, ac veraces homines inquirantur, & ad plenissimam vsq; deducantur iustitiam, tam nostris, quam etiam successorum nostrorum temporibus; nec non etiam concedimus eidem Ecclesiæ, vt deinceps serui, aut cartulari pertinentes ad eandem Ecclesiam nullum censum nostræ parti sub publico Ministeriali persoluant, sed liceat eis quieto ordine viuere, & ipsi suæ Ecclesiæ deseruire, nullus Iudex publicus, aut quilibet superioris, aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator ad causas Iudiciario more audiendas in monasteria, xenodochia,

dochia, Eccleſiaſq; Baptiſmales reſideat & homines, tam clericos, quam laicos, Villas, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas aliquo in tempore in diuerſis locis, aut territorijs noſtræ poteſtatis iuſte, & legaliter tenet ad freda, vel tributa exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tam ingenuos, quam etiam ſeruos ſuper terrâ commanentes diſtringendos, pignorandos, nec in hoſtem ducendos, nec ire cogendos, nec vllas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendos, in quo eadem Eccleſia, ſibiq; ſubiecti aliquod iniuſte patiantur incommodum, noſtriſq; futuris temporibus quiſpiam tam temerarius exiſtat, qui id faciendi illicitam ſibi poteſtatem attribuere audeat. Concedimus eidem Sanctæ Mutinenſi Eccleſiæ, ſicuti ab antiquis anteceſſoribus noſtris Regibus, loca, in quibus prędicta Ciuitas conſtructa fuerat, per firmitatis ſuæ auctoritatem conceſſa, ita noſtræ auctoritatis præcepto firma, & ſtabilia permaneant cum Cancellarijs, quos perpetua, & iugi conſuetudine temporibus anteceſſorum Epiſcoporum prædicta Eccleſia de clericis ſui ordinis adſcribendos ſuæ poteſtati libellos & pothecarios habuit, & concedimus etiam ei vias, pontes, portas, & quicquid ex antiquo iure incolumi Ciuitati de his Regiæ auctoritati per procuratores Reipublicæ ſoluebatur. Idem vt vbicunq; vias, pontes, portas in ſua terra habuerit, noſtra vice liberam capiendi debitum ex eis cenſum habeat poteſtatem, & liceat foſſata cauare, molendina conſtruere, portas erigere ſuper tria milliaria in circuitu Eccleſię, & Ciuitatem circumquaq; firmare ad ſaluandam, muniendam, & amplificandam ipſam Sanctam Eccleſiam, & aquam aperire abſq; vlla publica contradictione, liceatq; memorato Præſuli, ſuiſq; ſucceſſoribus cum omnibus ſibi ſubiectis rebus, vel domibus ad ſe aſpicientibus, vel pertinentibus ſub tuitionis noſtrę defenſione quieto ordine degere, atq; pro incolumitate noſtra, totiuſq Imperij à Deo nobis conceſſi vna cum Clero, & Populo ſibi ſubiecto Dei immenſam clementiã iugiter exorare. Contulit etiam prædictæ Eccleſiæ noſtra principalis exorata clementia, vt ſi Populi maleuola conſpiratio ad tollendas res Eccleſiæ per vada fuerit confirmata, vt teſtimonia, & aduocationem ad iuſtitiam capiendam Eccleſia inuenire non valeat, & ex hoc adminiſtratores ſancti loci ſe reclamauerint, quod pro huiuſmodi cauſa iuſtitiam Eccleſia habere non poſſit, ſi conſpiratorum adunata collectio commiſſum ſcelus negare, atq; per ſacramentum purgare noluerit, liceat pro ſuſpicione falſitatiş Eccleſiæ adminiſtratoribus, ſi tamen voluerint per pugnam alicuius Eccleſiæ hominis liberi rem diuinis legibus prohibi-

tam

tam approbare; siq; in omnibus Ecclesiasticarum rerum causis de quibuscunq; legatis descriptioni tantum exorta fuerit lis, vt pugna, aut testibus dirimentibus, & pars Ecclesiastica suspecta testimonia aduersæ partis pro prædicta conspiratione, & pro . . . . dubitando habuerit, si fidens de iustitia rectitudinis pugnam elegerit quod sibi eligit, hoc ei per hoc nostræ firmitatis præceptum ad probandam suam iustitiam nostra principali clementia consentimus; Siquis vero contra hanc præceptionem auctoritatis nostræ ausu temerario ire tentauerit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem eidem Ecclesiæ, & vt hęc auctoritas nostris, futurisq; temporibus Deo protegente valeat inconuulsa manere, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.
Signum Domini Conradi Serenissimi Regis.
Vgo Cancellarius vice Domini Aridonis Archiepiscopi Muguntini, & Archicancellarij recognoui.
Datum decimotertio Cal. Iul. Anno Dominicę Incarnationis 1026. Indictione octaua, Anno vero Domini Conradi secũdo, regnantis primo.
Actum Cremonę fœliciter Amen.

Idem autem Episcopus de anno 1025. confirmauit, & ampliauit donationem alias factam per prædecessores suos Cænobio Sancti Petri in hunc modum videlicet.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Altitonantis. Postquam omnium Conditor me Ingonem omnium sacerdotum Pontificem humillimum, atque indignum ad sacerdotalis Officij culmen tanti honoris, ad cuius minimam partem non fui dignus pertingere in Sancta Dei Mutinensi Ecclesia, cui auctore Deo deseruio, sublimare dignatus est, sępe in animo cogitare cœpi, quid melius, quidve Deo dignius in eadem Sancta Ecclesia peragere valerem, quod Iesu Christo diuturnis temporibus placere potuisset, tunc demum euolutis omnibus nihil Deo carius efficere posse deliberaui, quam si monasterium situm iuxta Mutinam Ciuitatem inhonorem Sancti Petri Apostolorum Principis aliquo meo subleuarem commodo; ideoq; omnibus orthodoxæ fidei cultoribus notum sit, qualiter Ardoricus prædicti monasterij Abbas nostram humiliter adierit clementiam, quod omnia, quæ ei, & supradicto monasterio à meis prædecessoribus sunt collata, similiter consentire, & concedere dignaremur, quatenus id opus Deo auxilium præbente sub nostro regimine

mine fructificare. Quapropter, quę petijt, libentissime concessimus, vnde tam Imperatores, quam Reges, quamq; Episcopos, Duces, Marchiones & Comites, omnesque maiorum Senatus pręsentes scilicet, ac futuros per trinum, & vnum Deum, Sanctosque eius adiuro, & obtestor, vt omnia, quę à meis antecessoribus pręlibato Cœnobio concessa sunt, & ea, quę ex parte mei ei adiungo, per pręsentem paginam statuo, & iudico, vt inconuulsa, & intemerata in perpetuum manere possint, consilium, & auxilium prębeant, & siquis temerarius in aliquo rumpere tentauerit, omnimodis renitantur, & id fieri non permittant. Itaque cum consensu, & notitia omnium eiusdem Sanctę Mutinensis Ecclesię Canonicorum, eiusdemq; Ciuitatis militum, & populorum in vsum, & sumptum fratrum monachorum, qui in prędicto Cœnobio pro tempore famulati fuerint, habendum, fruendumq; constituo, & confirmo, & nominatim hoc est terram illam, cuius est finis à septentrione strata Salecitana vsque in fossam militariam, & vltra fossam militariam, terram illam, quę est laborata per Gademarium, seu cœteros homines ibidem laborantes vsque Cenosam, siue etiam fossatum nouum decurrens in supradictam militariam, ab Occidente vero est riuus, qui exiens de iam dicto Fossato nouo decurrit vsque in fossam, quę dicitur Mutina, indeque vsque in pratum nostrum Dominicatum cum introitu, & vndiq; secus legitimo exitu cum decimis, atq; offersionibus, seu sepulturis ibidem pertinentibus; donamus etiam iam dicto Cœnobio campum vnum continens iugera octo citra fossam militariam, a solis ortu desubtus ipso monasterio habente; à meridie, & a sero Sancto Geminiano habente; insuper concedimus illi pręfato Cœnobio Turricellam vnam infra Mutinę Ciuitatem cum Capella dedicata in Beati Ambrosij honore cum introitu, & sui accessione; largimur etiam domum vnam, quam tenebat Domninus pręsbyter infra ipsam Ciuitatē, & foris Ciuitatem, aliam domum simul & hortum, quam tenet Vxiuertus Prępositus, & diaconus, & in Castronouo tribuimus tabulas tres cum Casa super se habente, quam tenet Martinus Ferrarius, & Martinus Callegarius; concedimus etiam petiam vnam de terra pratiua cum Casa super se habente iuxta fontanas Girelmi, quam tenet Araldius Gastaldio; tribuimus etiam prędicto monasterio molendinum vnum supra ipsam Ciuitatem Mutinę in loco, qui dicitur Gaiolinus, cum decem iugeribus terrarum quinque superius, & quinque inferius cum accessione, & aquario suo; itemq; donamus iam dicto Cœnobio iugera duo in palude, qui dicitur Aquario cum lateribus, à sero sylua, quę dicitur Vacilli, à meridie palude, à mane

Ragin-

Raginbaldi, de subtus Ronco de Valdemaria; simili modo concedimus prefato Cœnobio terram illam, quam Dominus presbyter, & Abbas ante hos dies, & annos ex nostro tenebat Episcopio per Emphyteusim in loco, qui dicitur Saliceto, cum Casa super se habente, & terram illam, quę est inter fossam Mundam, & fossam militariam per scriptum, aut sine scripto, & est ipsa terra vineata, seu aratoria, atque pratiua cum frascario super se habente, tota est iugera triginta cum omni integritate, & decimis ipsius terrę & vineę; adiungimus supradicto Cœnobio in Saliceto terram illam, quę recta, & laborata fuit per Martinum Ferrarium ex parte Sancti Geminiani; insuper adiungimus massaritiam vnam in Assiano, quę est recta, & laborata per Stephanum, atque Martinum massarios cum omni integritate sua; Similiter largimur supradicto Cœnobio curtem vnam, quæ dicitur Abrica cum omni sua integritate, scilicet cum quadam Ecclesia ibi fundata in Beatissimi Georgij honorem cum vineis, pratis, syluis, terris cultis, & incultis, & vsibus aquarum, ripis, rupinis, & cum omnibus ædificijs factis, vel faciendis in præfata curte; tribuimus etiam quandam Ecclesiam prędicto Cœnobio in loco Aliano, quæ est consecrata in honorem Sanctæ Mariæ Virginis cum terris, & vineis, & omnibus rebus sibi pertinentibus; adiungimus ei etiam Castrum de Adiano cum Ecclesia in eo ędificata ad honorem Sancti Michaelis cum terris, & vineis, & aliam Ecclesiam fundatam propè idem Castrum in honorem Beatissimæ Virginis cum omni introitu, & sui accessione, & quicquid ad nos pertinet ex parte Sancti Geminiani; insuper etiam concedimus Ecclesiam vnam, quæ est fundata in loco Saltu consecrata in honorem Sancti Martini cum terris, & cum omnibus sibi pertinentibus, & cum omni honore, & integritate; concedimus etiam terram iuxta Castrum vetus, quam tenent filij Restani Gastaldionis per precariam, & est ipsa terra vineata, seu arabilis, atq; pratiua cum Capella, quę est ædificata in honorem Sanctæ Mariæ, iugera quatuor cum decimis ipsius terrę, & vineę, similiter attribuimus prędicto monasterio Dominicatum nostrum de curte Turri cum omni sua integritate, scilicet cum vineis, pratis, syluis, terris arabilibus; statuimus, vt ipsi nostri homines de prædicta curte Turri tam hi, qui nunc sunt, quam posteri perpetim ibidem morantes ad opus, & iussionem prędictorum fratrum monasterij iam dictas vineas, & terras excolere, & laborare debeant, & pro tempore ipsas vineas vindemiare, & postea tanquam nobis prædictis fratribus reddere; donamus iam dicto Cœnobio terram aratoriam loco, qui dicitur Castilioni, quę pertinet ad supradictam curtem, quę

est re-

est recta,& laborata per Prandum Lupicini,& Rodulphum suum germanum,seu cœteros homines habitantes in Villa Salsina, & in Runco & pratum vnum in loco,qui dicitur Insula Marsaleę cum omni sua integritate;adiungimus etiam ipsi monasterio Capellam vnam, quæ est fundata in honorem Beatissimi Patroni nostri Geminiani, quę est de iā dicta curte Turri cum terris,vineis,atq, decimis,& omni sua integritate,quæ ad eam pertinet, largimur etiam ipsi monasterio Capellam vnā fundatam in honorem Sancti Anastasij martyris in curte nostra de Sauiniano cum terris,vineis,& frascario,& aquario ad molendinum ædificandum quæ est simul terra arabilis,& vineata, & frascario iugera decem,& octo,prima petia,vbi Ecclesia est fundata,continet iugera quinque,& modium vnum,cohęrent ei fines à mane, & desubtus riuus decurrens,à meridie,& sero via, quæ vadit iuxta Gaiolum, secunda petia in eadem curte de Sauiniano loco,qui dicitur Spinarium, est per mensuram iugera quinq,, & modium vnum, sunt fines à tribus lateribus Sancti Geminiani,à sero fluuius Scultennæ, tertia petia ibidem de ipsa curte cum frascario est per mensuram iugera sex,à tribus lateribus Sancti Geminiani,desubtus Sancti Syluestri,quarta petia infra insulam Scultennæ est per mensuram iuger vnum à totis lateribus Sancti Geminiani,hanc autem prædictam terram, & Capellam de eadem pręfata terra de Sauiniano contulimus nos pro remedio animæ nostrę, seu antecessorum nostrum, vel pro anima Pipini Regis, qui obtulit prædictam curtem Sancto Geminlano Mutinensi Pręsuli;& nos Similiter concedimus Cœnobio Beati Petri Apostolorum. Principis, illud tantum pręnotatū, quod ex ipsa curte carpsimus cum decimis ipsius terræ, & vineę,& ex omni sua integritate,in curte Massa donamus etiam iam supradicto Cœnobio massaritias duas,vna, quæ est recta, & laborata per Leonem, & Dominicum Cica,altera vero per Ioannem,qui dicitur Leongio, cum omni integritate illarum rerum,& accessione cum terris arabilibus, vineis,pratiuis,paludibus cum frascario super se habēte;adiungimus iuxta ipsam massaritiam campum vnum,qui est per mēsuram iugera duo, & staria quindecim;insuper addimus in eadem curte iugera octo in loco,qui dicitur Ronco de Ortica, quæ recta, & laborata est per Petrum de Benedicto & in Finale massaritiam vnam, quæ est laborata,& recta per Petrum,& Ioannem,iugera decem,& vnam massariolam in eadem curte Finali, iugera octo propè Castrum, sex iugera in Corzano, quę sunt laborata per Carpesanum, & totidem in Finali, quæ sunt laborata per Ioannem Saccuzzo, & Dominicum Rospulum, & nouem iugera,

quæ laborantur per Stabilem Archipręsbyterum propè Sanctam Agatham, & decimam illam, quam tenuit Ardignus Iudæus in Saliceto, & sex iugera in Sorbaria, quæ fuit de Cambio inter Sanctum Geminianum, & Sanctum Benedictum de Leone; adiungimus etiam ipsi monasterio medietatem olìueti, quod extat in Montebelio, sunt fines de mane Sancti Benedicti, de sera Sancti Geminiani, da meridie, & desubto via; concedimus etiam decimam Ingoni filio quondam Regnerij de Feremano, seu Ragnerij, siue Arimundi, atque Raimundi de omni illorũ Domnicato, quod ad Sanctum Geminianum pertinet, damus etiam in Collegaria petiam vnam de terra, quæ est Sestaria quatuor, quam tenet Martinus filius quondam Ioannis cum Casa super se habente; similiter offero iam prædicto monasterio ex mea proprietate, quę me obuenit per Cartulam da parte Himildę Coniugis Vgonis de Gandazeto, loco qui dicitur Villanoua, quæ est recta, & laborata per Ioannem Galarta, & insuper addimus infra Ciuitatem Regiensem tabulas duas de terra, & foris Ciuitatem terram aratoriam sestaria viginti & duo; hanc autem prædictam terram de iam pręfata curte Gandazeta contuli pro remedio animæ meæ, seu Guidonis Genitoris mei, addimus etiam in Collegaria massaritiam vnam, quæ est recta, & laborata per Vitalem Capriolum, & sex iugera, quæ laborantur per Petrum de Benedicto, & fratrem eius Felicem, addimus quoq; his pro remedio animę nostræ, nostrorum que successorum per interuentum nostrorum Clericorum, seu laicorum pręcaturorum omnium Clerici, per quem ipsa terra detenta fuerat, & laborata est petiam vnam, scilicet quinq; iugera, & nouem sestaria in loco, qui dicitur Aquauiola, & secundam petiam terrę, & vineę, & iugera duo in Mutina in loco, qui dicitur Alacrux, tertiam petiam, cuius medietas laboratur per prędictum Ioconem, & alia medietas à parte ipsius, per Ioannem Bribum, & suos fratres, & est septem iugera, & est septem sestaria, & quartam, quę laboratur per ipsum Ioconem in loco, qui dicitur Gazata. & est vnius iugeris, & tres alias petias, vna iuxtam viam, quę appellatur Viacaua, & alia, quæ est in loco, qui dicitur Albareta, & Solariam Isinbardi, & tertia, quę est iuxta flumen, quod dicitur Teuedo, & laboratur à parte Ioconis per Ioannem Decanum, & per Martinum, & Michaelem, & Albericum Liminosos, & suos Consortes, quę est octo iugerum & modij vnius. Data est hęc terra à nobis Sancto Petro in pręsentia Ioannis Archipręsbyteri, & Petri pręsbyteri maioris Scholarum, & Rolandi pręsbyteri Custodis Ecclesię, & Ioannis pręsbyteri de ancilla Dei, & Igonulphi nostri fratris, & Vgonis nostri fidelis. Adiuto namque, &

que, & obtestor tam Imperatores, quam Reges, quamq; Episcopos, Duces, Marchiones, & Comites, omnesq; maiorum Senatus presentes scilicet, ac futuros per trinum, & vnum Deum, Sanctos omnes, vt ea, quæ per præsentem paginam statuo, & iudico inconuulsa, & intemerata in perpetuum manere possint, consilium, & auxilium prębeant, & siquis temerarius in aliquo rumpere tentauerit, omnimodis renitantur, & id fieri non permittant, ideoq; rata conscriptione hoc institutum confirmantes, quatenus nostri successores affectum nostri pectoris, deuotionemq; perpendentes, quæ semel Sancto deuouimus, & mancipauimus Cœnobio, inuiolata, atq; illæsa permanere concedant, vt nobis quasi inchoantibus, & illis perficientibus vna sit pręmij merces, eademq; Regni Cœlestis retributio, illumq; pariter Beatissimum Apostolorum Principem, cuius hęc sunt digesta amore, apud Deum mereamur interuentorem, & nos qui sancimus, & hi, qui sancita stabiliunt. Siquis igitur Episcopus, aut quælibet magna, paruaq; persona Sancti Petri Apostolorum Principis Cœnobium, quod nostri antecessores, vel nos Deo fauente confirmamus, aliquo in tempore infringere, aut diminorationem terrarum illius, quas nunc habere videtur, vel in futuro idem Cœnobium adquisiturũ est, facere tentauerit, cum Anania, & Saphira, quæ pręcium suarum rerũ Apostolis fraudauerunt, & cum Iuda traditore, Christi venditore, nec non Dathan, & Abiron partem habeat, & anathematis vltione percussus in hoc sęculo, & in futuro maledictionem consequatur æternam, vt autem hæc nostra pagina certior cunctis pateat, & firmior in posterum habeatur, manibus proprijs confirmauimus.

Actum est autem Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi millesimo vigesimo quinto, octauo Cal. Maij per Indictionem octauam, Præsulatus Domini Ingonis Episcopi secundo.

Ingo Dei gratia Sanctę Mutinensis Dei Ecclesiæ Pręsul in hoc decreto à me facto spontanea voluntate confirmaui, atque omnibus fratribus confirmandum tradidi, atq; præcepi.

Vseuertus diaconus, & prępositus m.m.s.s.

Vseuertus Archidiaconus.m.m.s.s.

Ego Adebertus Archiprębyter.m.m.s.s.

Ego Martinus pręsbyter.m.m.s.s.

Ego Alfredus diaconus.m.m.s.s.

Ego Lanfrancus diaconus.m.m.s.s.

Ego Adelbertus pręsbyter.m.m.s.s.

Ego Teutiges Clericus.m.m.s.s.

Ego Ioannes Mutinensis Ecclesiæ præsbyter hoc institutum ex iussione Domini Ingonis Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Prelulis scripsi, postq; roboratum compleui, & dedi

Postremo de anno 1034. idem Episcopus iure precario concessit Bonifacio Marchioni, & Duci Thusciæ, & Ricaldæ eius Vxori duas Curtes, videlicet vnam in loco, qui dicitur Clagnano, quod est Roccha cum Castro, & Capella Sancti Michaelis, aliam in loco, vbi dicitur Sauiniano, similiter cũ Castro circundato muro, & Capella sanctæ Mariæ, vna cũ Casis, & alijs rebus ad dictas Curtes pertinentibus, & ipsi Iugales obtulerunt, & donauerunt dicto Episcopo duas alias Curtes, vnam in loco, vbi dicitur Baioaria, aliam, vbi dicitur Foßatoreggio cum Castro ad vnamquamq; pertinente Curtem cum Capellis eorum, videlicet in Baioaria ad honorem sanctorum Geruasij, & Protasij, & vbi dicitur Foßatoreggio ad honorem sancti Donini. Vixit in Episcopatu vsque ad annum 1037. quo tempore plura fecit in honorem Ecclesiæ suæ, pluresq; celebrauit contractus bonorum eiusdem Ecclesiæ, quorum apparent plura documenta in tabulario Ecclesiæ Cathedralis, tandem in bona senectute migrauit ad Dominum.

VIBERTVS.

1038 *HVnc Episcopum aliquando Albertum vocatum fuiße obseruaui in pluribus documentis etiam sub eodem die confectis, quæ custodiuntur in Archiuio Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ, sed quia in eorum pluribus appellatur Vibertus, libuit illum sub hoc nomine hic appellare. Ipse de anno 1038. ad illuminationẽ Ecclesiæ constituit dari mansos quinque, vnum in Ganazeto, secundum in Gauello, tertium in Panciano, quartum in Pulinago, quintum in Pelago, & hoc in remedium animarum Imperatorum, & Episcoporum; ipse de eodem anno confirmauit Monasterio Sancti Petri omnia bona eidẽ conceßa per prædeceßores suos, vt in publicis tabulis desuper confectis, quæ custodiuntur apud Monacos dicti Monasterij; idem tempore Conradi Imperatoris anno eius Imperij duodecimo cum consensu Canonicorum iure precario, & emphiteotico concessit Bonifacio Marchioni, & Duci Thusciæ pro se, & filijs masculis, & in eorum defectum pro neptibus Curtes tres, videlicet Bazani, Liuizani, & Rocchæ Sanctæ Mariæ, ipse vero Bonifacius obtulit, & donauit eidem Episcopo quinque mansiones, videlicet locum Gauelli, Gandazeti, Plebis de Pulinago, &*

go, & Plebis de Pesano, qui contractus est subscriptus per dictum Vibertum Episcopum, & ipsum Bonifacium cum duobus Notarijs, & testibus necessarijs. Qui Episcopus cum prædictam Ecclesiam pie, ac sancte administrasset vsq; ad annum 1054. & plures celebrasset contractus de bonis dictæ ecclesiæ, quorum documenta asseruantur in Archiuio, tandem vocante Domino ad Cœlestia Regna peruenit.

HEREBERTVS.

1055 *Post Vibertum in Episcopatu successit Herebertus, qui de anno 1055. obtinuit ab Henrico Romanorum Imperatore Augusto vna cum Ciuibus Mutinensibus facultatem reædificandæ, muniendæ, atque augendæ Ciuitatis iam quasi destructæ, quod priuilegium in hæc verba conscriptum reperitur, videlicet.*

HEnricus Romanorum Imperator Augustus. Cum Herebertus Episcopus Sanctæ Mutinẽsis Ecclesiæ, & Ciues eius nostra addita clementia exposuerint ipsorum olim nobilissimam, atq; antiquissimam Vrbem Mutinam propè desertam esse, ex eaq; re nobis, & nostræ Reipublicæ maximum detrimentum accedere, petierintq; vt eam nos ipsis reędificare, munire, atque augere concederemus, quo nostris, & Sanctę Ecclesiæ hostibus firmioribus viribus resistere possent, ob eam rem nos iustis eorum pręcibus obsequentes, cum id eis permittimus, tum vero etiam vsum aquæ amnium Siclæ, & Scultennæ Episcopo, & Ciuitati concedimus, potestatemq; aluei excauandi ad merces in Padum, Venetias, & Rauennam deferendas largimur, quin etiam Ecclesiæ, & Ciuibus omnes rectas consuetudines conseruamus, quas antiquitus habuerunt, modo ne Episcopi mutatio, aut alio modo, nisi per nostram manum subrogatio fiat, nisi à Romano Pontifice legitime abdicetur.

Diploma hoc obtinuit Herebertus ab Henrico Imperatore cum proficisceretur Mantua, vbi diem festum Resurrectionis celebrauerat, & iret Florentiam ad indictum ibi conuentum; hoc tempore fuit creatus Cardinalis Paulus de Boschettis prius Ecclesiæ Mutinensis Primicerius ab Alexandro Secundo Pontifice Maximo. Idem Herebertus de anno postea 1083. vna cũ Sigifredo Episcopo Bononiensi, & Episcopo Ceruiensi, vel vt Blondus ait, Treuerensi, in die Palmarum consecrauit in Summum Pontificem Gibertum Archiepiscopum

Rauen-

Rauennatem, Clementis Tertij illi nomine indito, contra Gregorium Septimũ legitimum Pontificem, ex quo satis constare videtur hunc Episcopum quandoque fuiße schismaticum, cum sequeretur partes Henrici Cæsaris, qui fecerat consecrari in Pontificem dictum Gibertum, vt Gregorium vexaret, illique oppido eßet infestus. Hic Episcopus cum per plures annos Ecclesiæ Mutinensi pręfuißet, deque illius bonis plures contractus fecisset, tandem de anno 1094. defunctus est, &c.

BENEDICTVS.

1095 *Post Herebertum successit in Episcopatu Benedictus, qui de anno 1096. Indictione quinta quartodecimo Cal. Iunij donauit Cœnobio Sancti Petri de Mutina quædam bona, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Ambiliano, vt latius patet in tabulis desuper confectis, quæ sunt huiusmodi.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione eiusdẽ millesimo nonagesimo sexto, Indictione quinta, quartodecimo Cal. Iunij. Ego Dominus Benedictus seruus seruorum Dei minimus licet indignus, tamen Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Dei dispositione dictus Episcopus. Omnibus tam præsentibus, quam futuris notum esse volumus, quod per hanc paginam fieri præcipimus. Quoniam exigentibus peccatis nostris assidue labimur, & crebris ruinis atterimur, & quia in hac fragili, & caduca vita diu esse non possumus, & quoniam omnes Prælatos maxime Episcopos erga subiectos curam oportet semper impendere, præcipue erga eos, qui Sanctorum Patrum præcepris obedire volunt, & imitari Prophetæ vaticinium dicentis, ecce quam bonum, & quam iucũdum habitare fratres in vnum, considerantes qualiter melius crimina, & peccata delere valeremus, tandem diuina inspirante clementia quod sæpe audiuimus scripturam dicentem, oratio continua, & assidua multũ valet ad delenda crimina; placuit itaque atq; dignum visum fuit humanitati nostræ, vt pro remedijs animæ nostræ, & absolutione peccatorum nostrorum, siue successorum Fratrum Episcoporum concedimus, & largimur, atq; damus, & tradimus, monasterio Sancti Petri Apostolorum Principis sito iuxta Mutinam Vrbem in manibus Domini Sontij Dei gratia venerabilis Abbatis, & eius successoribus in perpetuum Ecclesiam Sanctæ Mariæ positam, & ędificatam in curte Ambiliani cum omni iure,

ni iure,& honore,& vsu,& cum omni integritate ei Ecclesiæ . . . pertinente,quam Beatissimus Pater Geminianus proprijs manibus consecrauit, cum omnibus rebus,territorijs, & possessionibus earum sibi pertinentibus, videlicet petiam vnam de terra, in qua ipsa Ecclesia fundata est,aratoria,vineata,pratiua insimul tenente, sunt ei fines à mane, flumen,à meridie Sancti Geminiani,à sero via desubto,via,& terra Sancti Syluestri,& petiam vnam de terra aratoria cum aquario ad ędificandum molendinum,sunt ei fines à mane mansum vnum, qui nominatur de Calzario,à meridie Marchesellus,à sero,& desubto flumen, & campum vnum,qui nominatur de Zeuzo de Pazano, iacens iuxta stradam,sunt ei fines à mane terra Sancti Syluestri,& Sancti Geminiani, à meridie strata Claudia,a sero hortum Molendini Domnicata, desubto flumen & quandam aliam petiam de terra aratoria,quæ iacet iuxta viā Bisentuli & est circundata finibus à mane, & meridie,& desubto eiusdē terrę Sancti Geminiani à sero via, & duo iugera de terra aratoria iuxta lacum, qui vocatur Marneticus, & mansum vnum, qui nominatur de Calzario,qui iacet in præfata curte Ambiliani, fines habet tales, à mane,& sero Sanctus Geminianus,à meridie Sanctus Syluester, & strada, & petiolam vnam de terra aratoria extra mansum,quæ est de eodem mãso,habet fines à tribus lateribus,Sancti Geminiani,à mane via Bisentuli,sibiq; sunt alię cohęrentes . . . cum omnibus suis decimis, & primitijs,quas terras Sanctus Geminianus eidem Ecclesiæ concessit, & talis est nostra voluntas,vt exinde in perpetuum prædictus Dominus Abbas,& eius successores & eorum fratres habeant omnes terras,vt superius legitur, cum omni iure & integritate,& dominio, & vsibus ad vsum,& sumptum, & vtilitatem Domini Abbatis, & eius successorum,& fratrum,qui nunc sunt,aut qui in sempiternum seruierint. Siquis Episcopus,vel alius Clericus,siue laicus irrumpere, aut frangere hoc nostrum decretum voluerit,& hanc nostram concessionem,& donationem obseruare noluerit,sciat se esse anathematem, & compositurum nomine pœnę libras triginta denariorum Lucensium ipsi monasterio, vel ei seruientibus;& post pœnam solutam, ea, quę superius leguntur, rata,& firma teneantur. Prędictus Dominus Episcopus hæc iussit fieri in præsentia Alberti Archidiaconi Mutinensis Ecclesię, & Guidonis Præpositi,& Rolandi Archiprębyteri, Aimonis magistri scholarum,& Mauritij presbyteri,& aliorum Canonicorum,& in testimonio Alberti Causidici, & Gotifredi Causidici, & Vberti Aduocati, & Rolandi, & Azonis de Cõrado,& Tetelmi,& Giasulfi de Ciuitate noua, & aliorũ quã pluriũ

Actum

Actum est hoc in Palatio Dominicato fœliciter.
Ego Benedictus Dei gratia Mutinensis Episcopus.m.m.s.s.
Ego Albertus Archidiaconus.m.m.s.s.
Ego Guido Præpositus.m.m.s.s.
Ego Aimo magister scholarum.m.m.s.s.
Ego Mauritius presbyter.m.m.s.s.
Ego Ioannes subdiaconus.m.m.s.s.
Ego Theodoricus diaconus.m.m.s.s.
Ego Bernardus diaconus.m.m.s.s.
Ego Benzo Clericus.m.m.s.s.
Ego Albertus Sacri Palatij Notarius scripsi,& compleui.

Hic Episcopus cum per biennium præfuißet Ecclesiæ, postmodum obdormiuit in Domino.

AEGIDIVS.

1097 *HVius Episcopi memoriam aliquam inuenire non potui, nisi quoddam documentum inuestituræ iure feudi per ipsum factæ cuidã Vbertino Teruelliani de quibusdam bonis Episcopatus, quod documentum custoditur in Archiuio Ecclesiæ Cathedralis, & mirum non est, quia per paucos dies præfuit Ecclesiæ.*

DODO.

1100 *CVM per mortem Aegidij vacaret Sedes Episcopalis, de anno 1099. cumque Ciues Mutinenses antiquã Vrbem iam restaurassent, cogitauerunt etiam de noua Basilica fabricãda pro dignitate populi, & sic nouam construxerunt, quam nunc habemus, eique principium dederunt die nono Iunij 1099. Sole in Cancrum intrante, vt testantur rudes quidam versiculi exculpti in exteriori Basilicæ pariete iuxta portam maiorem Occidentalem, & sunt infrascripti.*

Dum

Dum Gemini Cancer cursum conscendit ouantis.
Idibus in quintis Iunii sub tempore mensis.
Mille Dei carnis monos centum minus annis.
Ista domus Clari fundatur Geminiani.

Extat etiam alia inscriptio rudis, & inculta in exteriori parte absidis eiusdem Basilicæ ad Prætorium vergentis, quæ tempus idem fundationis, & architecti nomen fabricæ ostendit, quæ est huiusmodi.

Ingenio clarus Lanfrancus doctus, & aptus.
Est operis princeps huius, rectorq;, magister.
Quo fieri cępit, demonstrat litera præsens.
Anni post mille Domini nonaginta, nouemque.

Huic Lanfranco Romẽgardi cognomẽ fuiße scribit Paninus in Chronico. Quæri autem à multis solet, an insignis hæc Turris Campanaria, quæ Basilicæ adhęret, fuerit eodem tempore constructa, vel perprius fabricata fuerit; quidam incertus auctor in Chronico rerum Mutinensium voluit eam antè tempora Augusti constructam fuisse, nullum autem opinionis suæ aßertorem, siue argumentum adducit, quare illum iure optimo refellit Paninus in Chronico, qui Turrim vna cum Basilica inchoatam, simulq; perfectam vsque ad illud culmen, in quo Turris quadrum desinit, eodem tempore fuisse scribit, tum ex fide cuiusdam donationis fabricæ Sancti Geminiani à Ciuibus confirmatæ, tum quia ex eodem marmorum genere vtramq; constructam fuiße constat, & cum funditus euersa fuerit Ciuitas Mutinæ, non videtur probabile hanc solam tantæ altitudinis molem tot annorum, ac procellarum iniurijs tandiu integram resistere potuiße, ideo recentiorem illius structuram eße negare non poßumus, & si vera est inscriptio, quam in quodam cubiculo Campanarij extare atteстatur Benedictus Manzolius Episcopus Regiensis, quæ est huiusmodi ferè notis conscripta. Ops construxit in tempore Domini Desiderij Regis p ind. xij. quamuis ex ea integer verborum sensus non satis colligatur, magnum tamen indiciũ habemus, ante ipsam nedum Basilicæ fundationem, sed Vrbismet Mutinæ restaurationem Turrim hanc vsque ad quadrum erectam fuisse, regnante Desiderio vltimo Longobardorum Rege, qui anno salutis 774. à Carolo Franciæ

Rege fuit Regno spoliatus. Scribit etiam Sigonius dictam Basilicam constructam fuisse ex marmoribus extractis ex ruinis antiquis dictæ Ciuitatis Mutinæ. De dicto anno 1099. à Paschali Secundo creati fuere duo Cardinales Mutinenses ex nobili Rangonorum familia, licet non eodem tempore, videlicet Olympius, & Landulfus tituli Sancti Laurentij in Lucina. Vix autem absoluta fuerat pro parte noua hæc Basilica, cum anno 1106. Dodone Episcopo Sedente Mutinenses præsente Paschali Secundo Pontifice, ac Mathilda è vetere Basilica in nouam nondum tamen completam Corpus Sancti Geminiani Episcopi transtulerunt, accitis ad id muneris vicinarum Ciuitatum Episcopis, ac magno circumstantium populorum concursu pridie Cal. Maias; & deinceps octauo Id. Octobris idem Paschalis secundus præsente Mathilda dedicauit aram Sancto Geminiano, & qui tanto spectaculo interfuerunt, plurimis indulgentijs, & larga peccatorum remissione donati fuerunt, Mathilda autem, sicut Paschalis Ecclesiam, & Ciuitatem gratijs spiritualibus ornauerat, ne pietate, ac benignitate Pontifici cedere videretur, Ecclesiam prædictam varijs donorum generibus cumulauit, præcipueq; eidem Dodoni Episcopo, Ecclesiæq; Sancti Geminiani donauit Castrum Rocchæ Sanctæ Mariæ, vt in diplomate huiusmodi tenoris videlicet.

ANno ab Incarnatione Domini 1108. de mense Aprilis, Indictione prima. Cũ adesset Domina Mathilda Dei gratia Ducatrix, & Comitissa in loco Gubernulæ, ibiq; Dominus Dodo Mutinensis Episcopus, Comes Albertus, & Vbertus frater eius Araldus de Montelognano, Regemundus de Barle, Bernardus de Maginfredo, Roterchildus Auocatus, Azode Mutina, Vbertus Præardengi, Albertus Bonus filius Boni Iudici de Nonantula, Maginfredus Cantellus, & alij plures, in eorum præsentia cõcessit, & dedit supradicta Domina Mathilda, Rocchã quæ nũcupatur Sancta Maria de Rastello cum curte, & omnibus, quæ ad Rocchã pertinere videntur, cum omni iure, quod sibi pertinebat pro pręcaria ex parte Ecclesiæ Sancti Geminiani Dodoni Mutinensi Episcopo prænarratæ Ecclesiæ Sancti Geminiani, vt habeat ipse Dodo, & sui successores ab hac hora inantea, & faciant quicquid facere voluerint sine omni contradictione infrascriptæ Dominæ Mathildæ, & eius hęredum, & hoc pro mercede, & remedio animę suæ, quod si ipsa, vel sui hęredes egerint, aut causauerint, & omni tempore exindè, tunc & eo tempore, quo non permanserint, tunc promisit componere nomine pęnæ libras centum argenti optimi, & post pœnam solutam hæc promissio in sua firmitate permaneat.

Actum

Actum est hoc in loco Gubernulæ in præsentia supraſcriptorum bonorum hominum,& aliorum quam plurium fœliciter. Amen.
Ego Dominicus ſacri palatij Notarius ſcripſi,& ſubſcribendo cõpleui.

Quod Caſtrum ipſemet Dodo de anno 1126. infeudauit nobilibus de Aduocatis,vt in tabulis ſuperinde confectis huiuſmodi ſub tenore.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Breuis recordatio ſecuritatis, atq; firmitatis cauſa memoriæ pro futuris temporibus, qualiter in præſentia,& teſtimonio bonorum hominum, quorum nomina hic ſubtus leguntur,Dominus Dodo Dei gratia Mutinenſis Epiſcopus inueſtiuit Rainerium Aduocatum,& Guizardum,& Vbertum fratres filios Domini Roterchildi Aduocati de Roccha Sãctæ Mariæ pro cuſtodia, eo videlicet modo,vt prædicti fratres,& eorum heredes maſculini medietatem proficui habeant,& prædictus Dominus Dodo Epiſcopus, & eius ſucceſſores aliam habeãt medietatem intus,& exterius, predicti fratres nullam controuerſiam, aut offenſionem Epiſcopo de medietate ſtudioſe facient,& ſi fecerint,& infra quindecim dies, vt res voluerit, non emendauerint,ſciant ſe ſe compoſituros pœnam centum ſolidorum Lucenſium denariorum, & ſimiliter Epiſcopus,vel eius ſucceſſores præfatam Roccham non debeant eis auferre ſine conuicta culpa;& ſi abſtulerint, obligauit pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus componere eis libras denariorum Lucenſium quinquaginta, & poſt pœnam ſolutam pactio inter eos facta firma permaneret.Rainerius quoque,& Guizardus,atq; Vbertus fratres obligauerunt pro ſe,& ſuis heredibus feudum, quod habent à Caſtro Galiani in Ioſum vnuſquiſq; pro ſe partem ſuam, ſi non obſeruauerint hoc,quod eidem Domino Dodoni Epiſcopo iureiurando promiſerunt,quod videlicet iuſiurandum hoc modo factum eſt. Rainerius, & Guizardus,atque Vbertus vnuſquiſq; pro ſe iurauit fidelitatem Domino Dodoni Epiſcopo,eiuſq; ſucceſſoribus Catholicis de Roccha Sanctæ Mariæ,non erunt in facto,neq; in conſilio, quod Epiſcopus Dodo, vel eius ſucceſſores predictam Roccham perdant, aut eis vetita ſit,& ſi perdiderint,eis recuperare iuuabunt, & ipſi fratres, vel eorum hæredes nullum hominem in ipſam Roccham retinebunt vltra octo dies, poſtquam eis interdixerit,& guerram cum prædicta Roccha facient, vbicũque Dominus Epiſcopus,vel eius ſucceſſores iuſſerint, & hoc ſimiliter iurauerunt,quod ipſi fratres, vel eorum heredes prefatam Roccham in poteſtate Domini Dodonis Epiſcopi,& eius ſucceſſorũ infra octo dies, poſtquam eos requiſierint, reddent. Hanc autem obligationem fecerũt

K 2 præ-

præfatus Dominus Episcopus,& Rainerius,& Guizardus, atq; Vbertus in præsentia,& testimonio Guizardi de Nordilgo,& Azonis de Rolando,& Ceruij,& Geminiani de Tardo.
Actum in Vrbe Mutina fœliciter. Amen.

Prædictus Dominus Dodo Episcopus hoc Breue fieri, & scribi rogauit Anno Domini 1126. sexto Cal. Nouembris Indictione tertia; Eodem anno idem Paschalis Secundus apud Vardastallum Concilium habuit, in quo exemit Vrbes Aemiliæ ab obedientia Archiepiscopi Rauennatis recenti Giberti superbia nimirum offensus, qui se in Pontificem aduersus Gregorium consecrandũ curauerat, Acta huius Concilij conseruantur in Archiuio Mediolanensi. Ecclesiæ prædictæ Aemiliæ postmodum de anno 1118. per Gelasium Secundum restitutę fuerunt Valterro Archiepiscopo Rauennę ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reuerso, vt patet in diplomate, quod est apud Rubeum in historia Rauennati libro quinto, quæ restitutio fuit postmodum confirmata per Honorium Secundum, & per Innocentium Secundum eidem Præsuli, qui erat persona regularis, & humiliauit se Sedi Apostolicæ. hæc priuilegia custodiũtur in Bibliotheca Vrsiana Rauennæ; de anno postmodum 1122. idem Valterrus Archiepiscopus Rauennæ largitus est Dodoni Episcopo Mutinensi, & Sanctæ Rauennatis Ecclesiæ presbytero Cardinali, & eius Successoribus Ecclesiam Sanctæ Agnetis positam in Archiepiscopatu Rauennæ, in regione Herculana iuxta Horologium cum suis pertinentijs, consentientibus in id fratribus suis Cardinalibus presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus, præsente etiam Hildeprando Episcopo Commensi. Et cum de anno 1116. decimo octauo Cal. Septembris fuerit facta dedicatio Oratorij Aßumptionis Beatæ Marię Virginis in Monte Ciuitati Bononiæ imminente per Episcopum Bononiensem, interfuit etiam Dodo Episcopus Mutinensis cum alijs Episcopis. Per idem ferè tempus Dodo Episcopus Mutinæ, & Petrus Præpositus Ecclesiæ S. Cæsarij cum consensu Canonicorum, & eiusdem loci vicinorum conuenerunt, quod dictus Præpositus obediat Ecclesiæ Sancti Geminiani, & Episcopo eiusdem Ecclesiæ de Clericorum consecratione, de Synodi celebratione, & de Sacramentis sub pœna librarum centum, & Dodo Episcopus sub eadem pœna promisit se nullum aliud superimpositurum grauamen. Domina Mathilda Ducatrix, & Comitissa Marchionis Bonifacij filia existens in loco dicto Montebaranzone ad instantiam Domini Dodonis Episcopi Mutinæ laudauit, quod homines de Roccha Sanctæ Mariæ non tenerentur alicui respondere de albergaria, vel de alia factione, nisi ad ipsam Roccham, addens pœnam contrafacientibus. Postremo hoc sedente Episcopo de anno 1121. Calixtus Papa Se-

cundus

cundus declarauit fines Episcopatus, vt patet in literis suis infrascripti tenoris.

CAlixtus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Dodoni Mutinensi Episcopo, eiusq; successoribus canonice substituendis . . . Sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitime desiderantium non est differenda petitio, tuis ergo frater in Christo Carissime Dodo Episcope precibus annuentes ad perpetuã Sanctæ, cui Deo auctore præsides, Mutinensis Ecclesiæ, pacem, ac stabilitatem præsentis decreti auctoritate sancimus, vt vniuersi Episcopatus fines quieti deinceps omnino, & integri tam tibi, quam tuis successoribus conseruentur, qui nimirum fines his distinctionibus distenduntur, videlicet à terminis illis, qui Lucanum, & Pistoriensem Episcopatus à Mutinensi diuidunt, vsq; ad flumen illud, quod appellatur Burana, & vsq; ad terminum illum, qui vocatur Mutia, atq; inde vsq; ad illum terminum, qui Bononiensem Episcopatum à vestro disiungit, ex altera vero parte vsq; ad terminos, qui Episcopatum Mutinensem à Regino discernũt, Ecclesiarum vero, quæ infra hos terminos continentur, consecrationes, clericorum promotiones, decimas, & oblationes secundum Sanctorum Canonum Constitutiones tibi, tuisq. successoribus concedimus, & confirmamus, precipuè in Plebe Sanctæ Mariæ de Bodriuntio, quæ est in curte Sici, & in Capellis eius, in omnibus Ecclesijs, quæ sunt in Castro, & in curte Solariæ, & in Plebe Roncaliæ, & in Capellis eius, in omnibus Ecclesijs de Ponteducis, in Ecclesia de Camurana, in ecclesijs de curte Curtiolæ, in Ecclesia de Scoplano, in Ecclesia Sancti Petri in Siculo, & in Ecclesijs, quæ sunt in Castroueteri, & in curte ipsius, in omnibus ecclesijs, quæ sunt in Castro, & curte Panciani, Leonensi Abbatia, & in omnibus Ecclesijs, quæ sunt in Plebe Rubiani, quecunq; præterea bona, quecunq; possessiones, quas in præsenti legitime possidetis, vel in futurum largiente Deo iuste, & canonice poteritis adipisci, firma tibi, tuisq; successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergo, vt nulli omnino Episcoporum facultas sit infra prædictos confines sine tuo, vel successorum tuorum consensu Ecclesiam consecrare, Chrisma conficere, aut clericos ordinare præter Ecclesias, & clericos de Castro, & Burgo Nonantulæ, nulli etiam hominum liceat prædictam ecclesiam perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur tam tuis, quam clericorum, & pauperum vsibus profutura. Sane de presbyteris, qui per

parochias

parochias ad monasteria pertinentes in Ecclesijs constituuntur, prædecessoris nostri Sanctæ Memoriæ Vrbani Secundi Papæ sententiam confirmamus, statuentes, ne Abbates in parochialibus Ecclesijs, quas tenēt absque Episcoporum consilio, præsbyteros collocent, sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu sacerdoti committant, vt eiusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, Abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subiectionem exhibeant, & sic sua cuiq; iura seruentur. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sęcularis vè persona hanc nostræ Constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo, tertio vè commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq, sui dignitate careat, reamq; se Diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat, cunctis autem vestræ Ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem pręmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego Calixtus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.

Idem priuilegium postmodum fuit de anno 1128. *per Honorium Secundum confirmatum; postmodum hic Episcopus rite, & recte administrata per plures annos Ecclesia Mutinensi, pluribusque celebratis contractibus de bonis eiusdem, tandem obdormiuit in Domino, &c.*

RIBALDVS.

113 *CIuitas Mutinæ hoc Episcopo sedente priuata fuit Episcopi dignitate de anno* 1146. *ad Eugenio Tertio, vt apparet ex actis Bononiensibus, nam cum Pontifex esset Brixiæ decimo Cal. Septembris scripsit ad Gerardum Episcopum Bononiæ, dicens, se Regiensibus, & Parmensibus præcepisse, ne Mutinensibus aduersum Abbatem Nonantulanum opem ferent, imo asserit se eos, quia pręcepta sua neglexissent, de consensu Cardinalium, & Patriarchę Aquileiensis, & plurimorum, qui conuenerant, Episcoporum, dignitate Episcopali priuasse. Quamobrem cum omni niteretur studio, vt Nonantulanos contra Mutinenses, quacunque ope posset, defenderet, & idem Pontifex cum esset Viter-*

bi de

bi de anno 1148. Pontificatus sui anno quarto dedit literas ad Placidum Abbatem monasterij Sancti Petri, eiusque fratres Monachos, in quibus asserit se priuasse Mutinam dignitate Episcopi, multasque Ecclesias, & bona ipsius Episcopatus, concessit dictis Monacis: literæ prædictæ reperiuntur apud ipsos Monachos, & ego eas vidi, & legi. Hic Episcopus, si Panuino in Epitome credimus, fuit creatus Cardinalis ab Innocentio Secundo Pontifice Maximo de anno 1137. vt ipse aßerit, & tamen in tabulario Ecclesiæ Mutinensis apparent plura documenta post dictum annum facta, vsque ad annum 1148. in quibus nunquam nominatur Cardinalis, sed simplex Episcopus, & præcipue in documento facto 1145, in quo Moyses Archiepiscopus Rauennæ concedit, & confirmat Ribaldo Episcopo Mutinensi omnia præcepta, & chartulas, quas fecit eius prædeceßor de Ecclesia Sanctæ Agnetis, & de Capella Sancti Mamæ cum suis pertinentijs, in quo documento nulla fit mentio, quod fuerit Cardinalis, sed nominatur simpliciter Episcopus. Et sciendum est, quod licet Mutina priuata fuerit, vt dixi, dignitate Episcopatus, tamen breui postea ab eodem Pontifice restituta fuit, cum eidem Ecclesiæ Hildeprandum præfecerit, qui fuit Cardinalis. Hoc sedente Episcopo inuentum fuit Bononiæ corpus Beati Petronij, cum prius locus eßet ignotus, vbi iaceret, & cum hic Episcopus per plures annos Ecclesiam administraßet, tandem vitam cum morte commutauit, &c.

HILDEPRANDVS.

1154 Hic Episcopus fuit patria Bononiensis ex nobili Grassiorum familia, fuit creatus Cardinalis diaconus ab Eugenio Tertio. Sub hoc Episcopo Mutinenses cum Bononiensibus pacem inierunt opera, auctoritate, ac diligentia Gerardi Rangoni prætoris sui, & vt creditur, etiam diligentia Hildeprandi Episcopi patria, vt diximus, Bononiensis. In hoc fœdere hinc inde iuratum fuit per Mutinenses, quod nunquam Nonantulanis, si fide decessissent, auxilium contra Bononienses præbebunt, Bononienses vero iurarunt, se Nonantulanos ad arma non concitaturos. Hic Episcopus Sigonio auctore de anno. 1173. cum eßet Cardinalis, & Episcopus Mutinensis, fuit destinatus ab Alexandro Tertio Pontifice Maximo Legatus vnà cum Albergono etiam Cardinale ad Conuentum Mutinæ indictũ, quo conuenire debebant Regienses, & Bononienses, aliјq; Fœderis moderatores, vt consilium caperent de tuenda societate, deq, sustinendi belli rationibus contra Fridericum; qui legati cum venißent Mutinam iußu Pontificis, hæc dixerunt.

dixerunt. Non debere eos vereri, quin si opus foret, arma primo quoque tempore pro sua, atq; Ecclesiæ salute, ac libertate resumerent, falli enim, ac vehementer errare, siquis crederet Friderici animos, atq; opes eas esse, quas extitissent, cui enim non apparere feroces eius spiritus vna cum ipsa ætate iam senescere incepisse, atq; vt in diuturno morbo vires eius domesticis detrimentis afflictas magna ex parte contabuisse? Sine dubio, siquid superuenisset incommodi, ipsum non solum de Imperio, sed etiam de salute dimicaturum, si Itali pristinæ libertatis memores virtutem in bellum, & constantiam attulissent, pro certo habere debere, & Deum ipsum causam suam pręsenti vt sæpe numine adiuturum, neq; enim verius vetus illud esse, fortes fortunam adiuuare, quam hoc nouum Deum Ecclesiam suam, fautoresq; suæ Ecclesię non deserere; quibus exhortationibus incitati moderatores fœderis, qui Mutinę conuenerant, iurarunt se constanter in fide societatis permansuros, cuius iuramenti verba in actis Mutinensibus extant sub hac forma.

Obseruato fœdus ictum inter socios Lombardię, Venetiarum, Marchię, & si hoc sacramentum susceperit, etiam Romaniæ, siquis ad Fridericum se contulerit pro viribus Vrbe mea eijciam, agroq; eius vastationem inferam priuatim, neque cum eo paciscar, neque ad eum scribam, neq; ad filium eius.

Et licet Sigonius asserat hunc Hildeprandum fuisse Episcopum Mutinę de anno 1173. tamen rem aliter se habere satis constat, quia de anno 1157. reperitur Episcopus Mutinæ Henricus sequens, & vixit vsque ad annum 1173. & de anno 1174. erat Episcopus Mutinę Vgo, & post Vgonem de anno 1179. alius Henricus, vt per plura tabularij Ecclesiæ Mutinensis documenta liquido apparet; quare dicendum est, Sigonium falli, vel quod verius credo Hildeprandum resignasse Episcopatui, retento Episcopali titulo vsq; ad ipsius mortem, quæ secuta est Vincentiæ de anno 1178. cũ esset legatus sedis Apostolicę, &c.

HENRICVS.

1157

HIc Episcopus de anno 1160. obtinuit à Friderico Romanorum Imperatore amplissimum priuilegium ad fauorem suę Ecclesię, & bonorum ipsius, quod priuilegium datum est Papię huiusmodi sub forma videlicet.

Fri-

FRidericus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Quoniam diuina fauente gratia ad culmen Imperij, & totius Regni gubernacula promoti sumus, eadem gratia inspirante, dignum fore duximus Ecclesias diuino cultui mancipatas, & earum possessiones, & iura sub nostra protectione suscipere, & iustis personarum petitionibus eisdem Ecclesijs deseruientium annuere, inde est, quod venientem ad nostræ Imperialis Curiæ clementiam, & nostræ Maiestatis præsentiam dilectum, & fidelem nostrum Henricum Ecclesiæ Mutinensis venerabilem Episcopum solita clementia, & honorificentia recepimus, atq; vniuersa regalia Mutinensis Ecclesiæ noua, & vetera olim per Reges, & Imperatores eidem Ecclesiæ rationabiliter concessa prædicto venerabili Episcopo, & eius successoribus concedimus, & confirmamus, & speciali priuilegio eidem Episcopo, & eius successoribus concedimus, vt in vniuersis rebus Ecclesiæ suæ vindicandis nulla prescriptio obijciatur, neq; de preterito, idest antè tempus huius priuilegij, neq; in futurum. Datum apud Papiam in Palatio Id. Februarij anno 1160. ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi.

Hic Episcopus de anno 1158. interfuit celebri Concilio Cremonę celebrato ab Adriano Pōtifice, & de eodē anno legati Pontificis, & Friderici conuenerunt Mutinæ colloquij causa, & Fridericus etiā ibidē egit festa Paschalia, vt auctor est Sigonius, & cū per idem tēpus idē Fridericus Imperator indixerit Conciliū ad Roncaleas pro die festo Sācti Martini, potuit eidē Cōcilio interesse Hēricus tūc Mutinēsis Ecclesiæ Episcopus. Idē Episcopus obtinuit ab Alexādro Tertio cōcessiones, & cōfirmationes bonorū, ac decimarū dictæ Ecclesiæ. Idē Pontifex eidē Henrico concessit, vt sine assensu suo nullus Ecclesiam, vel oratorium construat; confirmat Canonicis Castrum Panciani cum tota Curte, & pertinentijs, sicut Herebertus concesserat; approbat etiam compositionem inter Episcopum, & Capitulum factam super procuratione exhibenda Archiepiscopo Rauennæ, & legatis Apostolicis; confirmat etiam statutum Canonicorum, vt nulli absenti Præbenda conferatur, nisi fortè in publicis scholis versetur. Idem Episcopus de anno 1172. dotauit Sacristiam Ecclesiæ Mutinensis, vt ex documento desuper confecto liquido apparet. Idem cum consensu Canonicorum concessit Ecclesiam Sancti Laurentij de Aquauiula Petro Archipræsbytero Ecclesiæ Sancti Viti, quæ Ecclesia sancti Laurentij erat propria Episcopi sancti Geminiani, vt asseritur in dicta concessione, & sibi censum super ea reseruauit. Huic episcopo per Bernardum Rauennæ Archiepiscopum fuerunt concessa, & confirmata præcepta, & chartulæ donationis, quę olim fuerunt factæ, & cōfir-

matæ per prædeceßores suos Dodoni, & Ribaldo Mutinæ Episcopis de Ecclesia sanctæ Agnetis, & Capella sancti Mamæ cum omnibus pertinentijs suis, & cum oblationibus. Hic Episcopus vixit in Episcopatu vsq; ad annum 1173. vt apparet ex pluribus contractuum documentis, quos idem Episcopus fecit de bonis eiusdem Ecclesiæ, quæ custodiuntur in Archiuio Ecclesiæ Mutinensis; demum in bona senectute ab hac caduca, & fragili vita, ad æternam, ac stabilem migrauit &c.

VGO.

1174 HIc Episcopus de anno 1176. subscripsit donationi factæ per Gerardum Archiepiscopum Rauennæ Cœnobio Diui Laurentij. Eisdem literis subscripsere etiam Albericus Regiensis Episcopus, Henricus Corneliensis, Alexander Liuiensis, Albertus Bobiensis, Leonardus Casenas, post ipsos autem subscripsere etiam Præpositus Rauennas, multiq; præterea Canonici, seu, vt ibi scribitur, Cardinales Rauennates, vt est auctor Rubeus in historia Rauennati. Hic Episcopus dum vixit, plures fecit contractus bonorum Ecclesiæ, quorum apparent documenta in Bibliotheca Ecclesiæ Mutinensis, tandem de anno 1178. vitam cum morte commutauit, &c.

HENRICVS.

1179 HVius Episcopi nullam aliam memoriam inuenire potui, nisi quẽdam contractum per eundem factum, in quo de dicto anno 1179. ipse Henricus iure præcario cõceßit Adelmo Grimaldo, Martino, & Petro de Ripa duodecim petias terræ in Villa Collegariæ, & in Foßatoregio, cuius documenti exemplar custoditur in Archiuio Cathedralis Ecclesiæ Mutinæ, & nil mirum si alia non inuenitur memoria Episcopi prædicti, cum per paucos dies vixerit, obijt enim eodem anno, &c.

AR-

ARDITIO.

1179 S*Vb hoc Episcopo de anno 1184. cum Lucius Tertius Pontifex Maximus Veronam iret ad Concilium ibi indictum, cum peruenißet Mutinam cum plerisq; Cardinalibus, præcibus Gerardi Archiepiscopi Rauennatis, & Ardicionis Episcopi, & Consulum* Mutinensium *Basilicam sancti Geminiani tunc perfectam magna cærimonia dedicauit, ac Corpore ipsius sancti Confeßoris populo id in primis cupienti ostenso, in perpetuum quadragenariam remissionem ijs, qui noxis suis expiati sancti illius Natalitia coluißent, indulsit. Postridie autem sub lucem Ciuitati salutem dixit, atque incrementum à Deo prçcatus Vrbe exijt, & cum ad mille ferè paßus eßet progreßus, quod adhuc non senserat, magno se commitatu stipatum animaduertit, erant enim amplius duo millia hominum, qui honoris, ac pietatis gratia ipsum ab Vrbe pedibus cũ cereis accensis prosecuti commitabantur, ad quos ille conuersus hæc verba habuit. Gratias agimus vobis de honore, quem nobis insignem exhibuistis, ac signo crucis eos signans subiunxit, benedicta sit terra, quam incolitis, & benedicti vos, & posteri vestri in perpetuum. Ad cuius rei memoriam perpetuam populus Mutinensis tabulam hanc historiam continentem in pariete Ecclesię in forum vergente, quæ nunc quoq; uisitur, ponendam curauit. Sub hoc Episcopo facta est transactio, & concordia inter Canonicos Ecclesiæ sancti Geminiani, & Abbatem sancti Petri de Mutina, litigantes coram ipso Episcopo; quæ transactio fuit in hunc modum, scilicet quod Canonici habeant in perpetuum mißas omnes maiores in exequijs defunctorum in Ecclesia sancti Petri, ad quorum munia Canonici inuitati fuerint in auro, vel argento, & tertiam partem ceræ, & candelarum, quæ oblatæ fuerint, residuum vero cedat Abbati cum cæteris oblationibus; & Lucius Tertius postmodum quasi dictam transactionem approbans oblationes, & alia, eisdem Canonicis, & Capitulo concessit sub hac forma videlicet.*

LVcius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Bonifacio Pręposito, & Canonicis Mutinensibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis benignitate inducimur, & susceptæ administrationis debito prouocamur iustas filiorum Ecclesiæ prçces clementer admittere, & vota eorum, quæ rationi conueniunt, effectu prosequenti complere. Hac itaque ratione inducti auctoritate Apostolica constituimus, vt si absente Episcopo ad exequias alicuius defuncti in Ciuitate, vel

extra fueritis inuitati, maiorem missam, & oblationes sine contradictione qualibet habeatis, sicut à quadraginta annis vsq; nunc dignoscitur obseruatum, Si autem parochianus aliquis Ecclesiæ vestræ apud aliam elegerit sepulturam, canonicam vobis præcipimus iustitiam obseruari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Cõstitutionis infringere, vel ei ausu temerario contra ire, siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beati Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.
Datum Ananiæ tertio Cal. Martij.

Sub hoc Episcopo Gregorius Octauus statuit, vt ordo Canonicus secundum Beati Augustini Regulam institutus in Ecclesia sancti Apollinaris obseruetur. Item confirmat eidem Ecclesię possessiones, & alia bona, quæ possidet; Et sub eodem Episcopo Vrbanus Tertius confirmat ordinationem super receptione legatorum Romanę Ecclesię, & procuratione Archiepiscopi Ranennæ facta inter Episcopum Mutinæ, & Canonicos eiusdem Ecclesię. Hoc etiam Episcopo sedente laudum latum fuit inter ipsum Ardicionem Episcopum, Canonicos, & Prelatos Ecclesiarum ex vna, & Commune Mutinę ex altera super diuersis Capitulis, vt in dicto laudo apparet, cuius copia est in libro Censuali maiori Ecclesiæ Cathedralis fol. 85. de anno 1182. His temporibus videlicet de anno 1188. Ciuitas Mutinæ nouis muris, fossisq; fuit septa, & ampliata, & de anno 1182. teste Panino fuit ędificata Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ in Angulo sic dicta, quia est in angulo Ciuitatis, nunc vero est Commenda satis opima militum Hierosolymitanorum, restaurata postmodum de anno 1598. à Ludouico Rossio Interamnense eiusdem Ecclesię Commendatario. Vixit Hic Episcopus vsq; ad annum 1195. & postmodum obdormiuit in Domino, &c.

AEGIDIVS.

1195 *Henricus Sextus Romanorũ Imprrator, & Rex Siciliæ concessit Aegidio Episcopo, quẽ etiã Principem suũ appellat, & eius successoribus, vt possint peragere causas Ecclesiæ suæ, nullo sacramẽto calumnię prestito, ita tamen quod aduersarij cõtra eos eodẽ iure vti possint, & quod nulla prescriptio minor centũ annorũ Ecelesię prædictæ possit opponi. Diploma datũ est anno Regni eius vigesimo sexto, Imperij, quinto & Regni Siciliæ primo. Hic Episcopus inuestiuit Canonicos Ecclesiæ Mutinẽsis de septẽ cõuiuijs in vno quoq; anno, quæ prædictis Ca-*

nonicis,

nonicis Episcopus Mutinæ cõsueuit præstare, ita vt amodo prædicti Canonici in perpetuũ habeãt dicta septẽ conuiuia, quæ sunt consueti habere cũ omnibus alijs iuribus consuetis. Cælestinus Tertius Pontifex Maximus concedit facultatem Aegidio Episcopo Mutinensi, vt valeat disponere secundum antiquã consuetudinem de clericis Plebis Baioariæ, & alijs Diæcesanis sine appellatione. Diploma datum est anno eius Sexto. Innocentius Tertius suscepit sub protectione Ecclesiam Mutinensem, cui præest Aegidius, & eius successores in perpetuum, statuens, vt bona, quæ possidet, aut in futurum possidebit, firma sibi permaneant, & pon t fines Episcopatus. Literæ datæ sunt sub anno 1202. Idem Innocentius anno sui Pontificatus secundo rescribit Aegidio Episcopo Mutinensi, quod si clericorum crimina fuerint manifesta, eos puniat, appellatione reiecta. Rescriptum fuit factum de anno 1200. quo anno etiam auctore Panino fuit ædificata Ecclesia sancti Marci Mutinæ. Idem Episcopus de anno 1198. in Cœmiterio sancti Seueri propè Villam Creppacorij erexit Crucem ad honorem Dei, & Beati Geminiani, & ad præceptum Bonifacij Abbatis sancti Syluestri Rodulphus Lombardus Iurator dicti Abbatis in curte Creppacorij iurauit se ostensurum totam curtem sancti seueri, & siquid habet aliud in partibus illis Ecclesia sancti Geminiani; & de anno 1199. hic Episcopus iussu Innocentij Pontificis Maximi consecrauit aram Diui Thomæ, in Aede Canonicorum sancti saluatoris Bononiæ, vt auctor est Sigonius, & tandem post multos celebratos contractus de bonis dictæ Ecclesiæ, quorum documenta apparent in Archiuio Mutinę, de anno 1206. translatus fuit ab hac Ecclesia ad Archiepiscopatum Rauennæ, & eius loco suffectus est Martinus, &c.

MARTINVS.

1207 POst translationem Aegidij ad Archiepiscopatum Rauennæ, vt supra diximus, administrationem Episcopatus Mutinæ suscepit Martinus, qui admonuit fratres, & sorores, quæ intersunt conuentui Plebis de Collegaria, quatenus perseuerare debeant, & qui receßerunt, redire debeant, concedendo eis indulgentias. Idem Episcopus constituit Potestatem in Castro Vineolæ, qui iustitiam faciat hominibus dicti sui Castri. Idem etiam Episcopus fecit congregari homines de Sabiniano in Ecclesia Sanctæ Mariæ dicti Castri, & dixit, quod volebat ordinare, quod Potestas dicti loci eßet de Ciuitate Mutinæ, & de suis Vasallis, & elegit Dominum Guidonem de Gagio, qui fuit confirmatus sine aliqua contradictione, & cum Abbas Sancti Benedicti.

dicti,

dicti Diœcesis Brixiensis oneratus esset debitis, obtinuit ipse Abbas ab Episcopo Cremonensi Apostolicę Sedis Legato facultatem alienandi res immobiles dicti monasterij pro ipsis debitis exoluendis, qui Abbas nomine Honestus vendidit Martino Episcopo Mutinensi cum consensu Monachorum dicti Monasterij totam Curtem Sancti Vincentij propè Castrum de Badiano pro prętio ibi expresso in instrumento, quod seruatur in Archiuio Mutinensi, qui Abbas, & Conuentus postmodum concesserunt dicto Episcopo in perpetuum dictam Ecclesiam Sancti Vincentij, reseruato sibi censu duarum librarum ceræ annuatim. documentum habet subscriptionem Abbatis, & plurium Monachorum, & vnius Notarij. Hoc Episcopo sedente destructum fuit Castrũ appellatum Ponsducis, quod erat Episcopi, per Mutinenses, & Bononienses. expellendo è Ferraria Salinguerram, qui contra fidem datam vexabat Aldobrandinum. Quo Castro deleto, Mutinenses ex eo campanam retulerũt, qua in Turrim Diui Geminiani subuecta eius occentu nonam diei horam populo indixerunt. Et cum per hæc tempora Innocentius Tertius Pontifex maximus de mense Nouembris habuerit Concilium Romę ad Lateranum, verisimiliter adesse potuit Martinus tunc Mutinensis Episcopus. Post fabricatam Basilicam, de qua supra cum defecisset nobilium lapidum materia, exhaustis iam soli Mutinensis penitioribus ferè visceribus, ac propileum, seu porta Basilicæ Regia, quæ spectat ad forum, penderet imperfecta, de anno 1209. hoc Episcopo regnante diuino quodam miraculo inuenta, atque effossa fuit in Suburbano Vico Saliceto ea marmorum copia, quæ ad integram structuram operis abundè suffecit, vt ex Annalibus Mutinensibus constat. Per eadem tempora, si Panino credimus, ædificata fuit Ecclesia Sancti Pauli Mutinę; præterea Fridericus Romanorum Imperator Secundus confirmauit Martino Episcopo Mutinẽsi priuilegium Henrici patris sui, videlicet quod Episcopus Mutinę non teneatur iurare de calumnia in causis suis, nec sibi curat præscriptio minor centenaria, qui Fridericus per aliud priuilegium recepit in protectionem pręfatum Martinum Episcopum; & Capitulum Mutinæ, & Ecclesiam, & Clerum pręcipiens, vt nullus eos molestet, vt in diplomate huiusmodi tenoris.

FRidericus Dei gratia Romanorum Rex, Imperator Augustus, & Rex Siciliæ, vniuersis Regno nostro subiectis tam præsentibus, quã futuris, ad quos literę istæ perueniunt, gratiam suam, & bonam voluntatem. Cum à nostra Serenitate petitur, quod iustum est, & honestum, tam ordo rationis, quam vigor exigit ęquitatis, vt illud debeamus effectui mancipare. Ea propter notum vobis facimus, quod nos attendentes merita, & grata obsequia, quæ nobis, & progenitoribus nostris dilecti fi-

deles

deles nostri Martinus Episcopus, & Capitulum Mutinense exhibuerunt fideliter, & deuote Ecclesiam Episcopũ, Capitulum, & vniuersum Clerum Mutinensem cum omnibus bonis suis tam Ecclesiasticis, quam paternis sub nostra, & Regni nostri protectione suscepimus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, statuẽtes, vt de cętero nulla Ciuitas, nullum Commune, nulla persona magna, vel parua dictam Ecclesiam, & Episcopos ipsos, Capitulum, & Clerum in rebus suis, vel personis præsumat aliquatenus molestare. Quicumq; autem huius nostræ protectionis violator extiterit, indignationem Regię Maiestatis, & pœnam quingentarum marcarum argenti se nouerit pœnitus incursurum, medietatem cuius Camerę nostrę, & medietatem iniuriam patenti decerni mus exhiberi.

Datum in Castris apud Rhenum quinto nonas octobris, Indictione nona, millesimo ducentesimo vigesimo.

Tempore Innocentij Tertij dubitatum fuit, an ordinatus à Papa poßet per alium absque eius licentia ordinari, & rescripsit Martino Episcopo Mutinensi, quod non, quę decisio apparet in c. Cum in distribuendis de temporibus ordin., qui etiam Pontifex mandauit eidem Episcopo, vt in contrahendis matrimonijs illud obseruari faciat, quod obseruat Romana Sedes, & Metropolis, quod rescriptum est in c. fin. de spons. duo. mandat etiam Pontifex eidem Episcopo, vt per censuram Ecclesiasticam monitione præmissa, & appellatione remota compellat vsurarios, vt desistant ab exactione vsurarum, vel eas restituant, si fuerint exactæ, non obstante iuramento præstito de nulla prędictis vsurarijs mouenda quęstione. Hæc decisio apparet in c, per tuas, de vsuris. Postremo hic Episcopus pluribus celebratis contractibus de bonis Ecclesiæ, tandem è viuis decessit 1221.

GVLIELMVS.

1222 *Defuncto Martino fuerunt in discordia electi duo Episcopi, vt auctor est Paninus, videlicet Orlandinus de Gumbula, & Mãfredinus de Pijs, quorum tamen neuter obtinuit Episcopatum, quia de anno 1222. fuit creatus Episcopus Gulielmus Allobrox, siue Subalpinus, vir in pertractandis negocijs sagacis ingenij, de quo scribit frater Salimbertus in Chronicis, quod ex Episcopo Mutinensi fuit creatus Cardinalis Sabinus Episcopus, quem Honorius*

norius Tertius anno Pontificatus sui nono legatum Apostolicum in Liuoniam, & Pruſciam miſit, vt fidem Chriſti barbaris illis gentibus prædicaret, quem etiam hoc inſigni elogio ornauit, appellando illum virum honeſtæ vitæ, conuerſationis, & religionis, eruditione, ac ſcientia præclariſſimum; habuit à prædicto Pōtifice facultatem in Liuonia, & Pruſcia erigendi Sedes Epiſcopales, in eiſq; Epiſcopos conſtituendi. A Gregorio nono denuo cum legati munere ad Septentrionem miſſus fuit, à quo habuit literas commendatitias ad omnes Chriſti fideles per Liuoniam, Pruſciam, Villandiam, cæteraſq; Neophytorum prouincias commorantes; & ab Innocentio Quarto, dum eſſet Lugduni, creatus fuit Cardinalis, & tertio in eandem legationem rediјt, quando Pontifex Noruegiam, & Suetiam reduxit, commendatitias de eo literas ad earum Prouinciarum Prælatos ſcripſit. Hic Epiſcopus multum laborauit ſub Gregorio nono pro canonizatione ſancti Dominici, maxime enim ordini prædicatorum addictus erat; ipſe interfuit Bononię translationi Corporis eiuſdem Sancti Dominici, vna cum Archiepiſcopo Rauennate, & Bononienſi, ac Brixiano Epiſcopis. Hic quando fuit electus Epiſcopus Mutinenſis, erat Vicecancellarius Papæ, & electio ipſius, & conſecratio, & intronizatio fuit facta inſcio Archiepiſcopo Rauennate, vt manifeſte apparet ex tabulis Archiuij Mutinenſis infra regiſtrandis. Idem Epiſcopus conqueſtus eſt apud Pontificem Gregorium, quod ipſe ſolus ſupportaret expenſas legatorum, & Nuntiorum Apoſtolicorum, qui Pontifex mandauit duobus Cardinalibus, quod ſtatuant expenſas prædictas ſupportari debere non ſolum per Epiſcopum, ſed etiam per Abbatem Sancti Petri, & Abbatiſſam ſanctæ Euphemiæ iuxta eorum facultates; diploma datum eſt anno dicti Pontificis quinto. Ipſe Gulielmus, dum eſſet Epiſcopus, impediebat Canonicos, ne haberent equum, quem prima vice equitabat, cum reuertebatur à conſecratione; quæ controuerſia cum delata fuiſſet ad Archiepiſcopum Rauennatem, ipſam commiſit duobus Commiſſarijs, qui laudauerunt, vt infra videlicet.

IN Chriſti nomine Amen, a natiuitate eiuſdem 1223. Indictione vndecima die martis octauo exeunte Ianuario. Magiſter Iacobus de Bragantijs doctor Theologiæ, præſente Magiſtro Nicolao Canonico Placentino doctore Decretorum conſentiente, ita dixit; Cauſa, quę vertebatur inter capitulum Mutinæ, & Dominum Gulielmum Mutinenſem Epiſcopum ſuper equo, quem ęquitauit, cum primo intrauit Ciuitatem, quando venit à conſecratione ſua, nobis commiſſa fuit de aſſenſu partium à Domino Symeone Archiepiſcopo Rauennati, tenor cuius commiſſionis talis eſt.

Symeon

Symeon non ſuis meritis ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilectis in Chriſto filijs, Magiſtro Iacobo de Bragantia doctori Theologiæ, & Magiſtro Nicolao doctori Decretorum ſalutem in Domino Ieſu Chriſto. Conqueſti ſunt nobis Præpoſitus, & Capitulum Mutinæ, quod cum habere debeant ex antiqua conſuetudine equum ab Epiſcopo Mutinenſi, quando dictus Epiſcopus primo intrat Ciuitatem Mutinę poſt conſecrationem ſuam, & in iſtius iuris poßeſſionem vel quaſi poßeſſionem ſe eſſe firmiter aſſerant, Magiſter Gulielmus Vicecancellarius quondam Domini Papæ, quem ipſi Canonici dicunt eſſe Epiſcopum Mutinæ, ſicut ex eorum literis percepimus, dictum equum eis denegat exhibere, & licet nobis videatur inconſuetum, & extra rationem, & ſatis extraneum, quod aliquis ſit in Eccleſia Mutinenſi conſecratus Epiſcopus ſine conſcientia noſtra, de cuius ellectione, confirmatione, & conſecratione, & intronizatione, nihil nos, vel Eccleſia Rauennatenſis præſenſit, volentes etiam dictis Præpoſito, & Canonicis, quos ſincera diligimus charitate, in omnibus, quibus poßumus deferre, cauſam ſuper prædicto equo, prudentiæ veſtræ committimus audiendam, mandantes vobis, vt vocatis antè præſentiam veſtram, quos videtis euocandos, audiatis eam, & eam ſine debito decidatis; facientes, quod decreueritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſeruari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eandem compellatis veritati teſtimonium perhibere. Datum Argentæ tertio Cal. Octobris, Indictione decima. Petebat enim Sigigus presbyter Sancti Marci, Sindicus Capituli Mutinenſis pro ipſo Capitulo in hunc modum.

VObis Iudicibus delegatis ab Archiepiſcopo Rauennæ ſcilicet Dominis Iacobo de Bragantijs Magiſtro Theologiæ, & Nicolao Magiſtro Decretorum. Conqueror ego Sigigus pręsbyter Sancti Marci, Sindicus Capituli Mutinenſis pro ipſo Capitulo, & eius nomine de Domino Gulielmo Epiſcopo Mutinenſi, contra quem ago, petens ab eo; ne debeat me pro Capitulo, & ipſum Capitulum inquietare in perceptione équi, quem equitauit, quo cum primo venit ad Palatium poſtconſecrationem, & ne debeat me, & Capitulum prohibere, quo minus apprehendam, vel apprehendere poſſim poſſeſſionem prædicti equi, & vt debeat mihi pro Capitulo, & ipſi Capitulo facere copiam apprehendendi poſſeſſionem prædicti equi, & ne per poſſeſſionem prędicti equi apprehenſam, me, & Capitulum in poſſeſſionem prædicti equi debeat inquietare, dicens me pro Capitulo, & ipſum Capitulum eſſe in poſſeſſione, vel quaſi iuris percipiendi, & habendi e-

M quum

quum, quem ipsi Episcopi Mutinenses, qui pro tempore fuerunt, & erunt, equitant, & equitare consueuerunt, & equitabunt, cum primo veniunt ad Palatium, vel venerunt post consecrationem, & de his iustitiam peto, facta litis contestatione coram vobis super ista petitione per prædictum Sindicum, & Gerardum actorem, & procuratorem Domini Gulielmi Mutinensis Episcopi, factis positionibus ab vtraque parte, receptis testibus, & probationibus vtriusq; partis, auditis allegationibus eorum, vtraq; parte postulante, vt ad sententiam procederent, habito prudentium, & sapientium virorum consilio, dictum Gerardum actorem Domini Episcopi, & per ipsum Dominum Gulielmum Episcopum Mutinensem condemnamus, ne debeat dictum Sindicum, & Capitulum prohibere, quo minus appręhendat possessionem prędicti equi, & vt debeat pro Capitulo, & ipsi Capitulo facere copiam apprehendendi possessionem prędicti equi, & ne post possessionem prædicti equi apprehensam ipsum Sindicum, & Capitulum in possessionem prædicti equi debeat inquietare. Actum in Ecclesia Sancti Geminiani Mutinæ præsentibus pręsbytero Ioanne Capellano Canonicorum, pręsbytero Martino de Sancto Marone, Alberto Mori de Sancto Victo, Rodulfino de Situla, Guizardo Munatolo, Sarazone seruiente Domino Rolandino de Gomola, Ianello qui moratur cum Magistro Artinisio, Guidoto de Adiano seruiente domino Iacobo Canonico.

Ego Gerardinus Zucchelli Notarius interfui, & rogatus scripsi.

Idem Episcopus recusabat pręstare Canonicis illa septem conuiuia, quæ quotannis præstari solebant ab Episcopo Mutinensi, & de quibus inuestiti fuerant ab Aegidio Episcopo, res delata fuit ad arbitros communiter electos, qui laudauerunt, vt infra videlicet.

IN Christi nomine anno 1231. Indictione 4. Nos Dominus Albertus Papiēsis, & dominus Vbertus de Bonacursio legū Doctores, arbitri electi à Domino Gulielmo Mutinēsi Episcopo pro se, & suo Episcopatu ex vna parte, & Capitulo Mutinēse ex alia, scilicet à Domino Archipręsbytero Ioambono, & à Domino Albertino magistro scholarū, & à Domino Petro de Fruida, & a Domino Mãfredino pro se, & alijs Canonicis absentibus super quæstione, quæ diurius inter prædictos fuerat agitata super eo, quod Capitulum petebat à prædicto Domino Episcopo, tam in eius absentia, quam in præsentia ipsius Episcopi dicto Capitulo septem conuiuia in Palatio ministrari, cum prædictæ partes fuerint in concordia,

dia quod prędicti arbitri viderent instrumentum quod est penes Capitulum de dictis conuiuijs, & interpretarentur, si deberent habere dicta conuiuia, tam in presentia, quam in absentia dicti Domini Episcopi, & continetur in instrumento facto per manum Bonifacij Notarij filij quondam Aspectati, habita diligenti deliberatione, viso etiam instrumento, quod erat penes Capitulum presente Domino Giberto Mutinensis Episcopi Vicario, & præsentibus prædictis de Capitulo, & pro Capitulo dicti arbitri in concordia, & in scriptis dixerunt, & pronunciauerunt, & interpretati fuerunt, quod prædicta septem conuiuia præstare debeat prædictus Dominus Episcopus Mutinensis Canonicis Mutinę, tam in absentia, quam in præsentia dicti Domini Episcopi, prout Episcopi Mutinæ præstare consueuerunt prædictis Canonicis, præsentibus testibus Domino Zacharia de Balugola, Domino Lanfranchino eius fratre, Domino Henrico de Balugola, Ioanne de Balugola, Bonifacio Aspectari, die sabbati decimo quinto intrante Martio.

Huic Episcopo Honorius Tertius concedit facultatem absoluendi scholares studentes Mutinæ, qui se leuiter, & sine liuore percußerint. Diploma datum est anno eius octauo, ex quo colligitur publicum studium tunc temporis viguiße Mutinæ. Fridericus Imperator huic Episcopo ratificat priuilegium patris sui Henrici concessum Episcopo Mutinensi, vt non teneatur iurare de calumnia, & præscriptio nisi centenaria non possit eius Ecclesiæ opponi. Idem Episcopus ab eodem Friderico petijt, vt liceret sibi reędificare Castrum Pontis ducis in Diœcesi sua positum, & ad ius Episcopatus pertinens, à Mutinensibus, Ferrariensibus, alijsq; dirutum, qui Fridericus mandauit Archiepiscopo Magdeburgensi, vt videlicet ei concederet prout in literis desuper confectis, quæ sunt huiusmodi tenoris.

FRidericus Dei fauente gratia Imperator, & Rex Siciliæ, dilecto Principi suo venerabili Magdeburgensi Archiepiscopo Comiti, & totius Lombardiæ legato gratiam, & omne bonum; venerabilis Mutinæ Episcopus fidelis noster Celsitudini nostræ per Nuncium suum, & literas attentius supplicauit, vt, quia Castrum Pontisducis in Diœcesi Mutinæ positum spectans ad ius, & proprietatem ipsius à Ferrariensibus, Mutinensibus, & alijs ciuibus funditus est destructum in grauem ipsius Ecclesiæ iniuriam, & iacturam, illud reædificandi, & cunctos homines reducendi in ipsum, præstare licentiam dignaremur, quare deuotioni tuæ duximus committendum, mandantes quatenus super hoc iuramē-

to, quod cum honore Imperij, & indemnitate ipsius Ecclesiæ procedendum videris, sic procedas, & inde statuas, quod iuste noueris expedire, faciens, quod statueris per bannum Imperiale auctoritate nostra firmiter obseruari.
Datum Catanę die nono decimo Martij, duodecimę Indictionis.

Idem Fridericus postmodum dedit liberam facultatem ipsi Episcopo reędificandi dictum Castrum, vt apparet in literis desuper confectis in subscriptione Notariorum. Innocentius Tertius misit hunc Episcopum vna cum Petro Rothomagensi Episcopo, & Gulielmo Abbate Sancti Facundi ad ipsum Fridericum, vt pacem cum eo componerent. Scribit Cromerus libro Octauo historiarum suarum, quod cum Suentopoclus Dux bello, armisq; promptissimus plurima Theutonicis eripuißet, Gulielmus Episcopus Mutinæ Apostolicus legatus effecit, vt illa restitueret, pacemq; cum Theutonicis firmaret; Cromerum refert Thomas Stapletonius Anglus in suo Tractatu de magnitudine Romanæ Ecclesiæ libro secundo capite primo. Sub hoc Episcopo, & cum ipso fuit concordata controuersia, quę pendebat coram Episcopo Bononiense inter Episcopatum Mutinæ ex vna, & Commune eiusdem Ciuitatis ex altera super iurisdictione per tria milliaria in circuitu eiusdem Ciuitatis, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, & super aquæductibus Siclę, & Scultemnę, & alijs, vt in instrumento desuper celebrato de anno 1227. Idem Episcopus de anno 1223. inuestiuit Nobiles de Balugola de Roccha sanctę Mariæ, vt in documeuto desuper confecto apparet huiusmodi sub tenore.

IN Christi nomine 1223. Indictione vndecima die 7. exeunte Martio. Dominus Gulielmus nūc Episcopus inuestiuit Dominū Cāpiolū Ioānis de Balugola, Dominū Guizardū Ziroldi, & Dominū Fauiuanū Tauiuani de Balugola recipiētib. pro se, & oībus alijs de Balugola, qui dominātur pro Domino Episcopo in Roccha Sanctæ Mariæ, & in eius Curia, & de ipsa Curia, & de omnibus iurisdictionibus, & vsantijs, quas dicti Domini, & eorum maiores habuerunt, & tenuerunt à Domino Episcopo Mutinensi, & suis successoribus vbicunq; in Episcopatu Mutinæ, & secundū quod eorū patres habuerūt, & tenuerunt, & pro hac inuestitura dicti Domini Nobiles nomine suo, & nomine aliorum de domo sua iurarunt fidelitatem supradicto Domino Episcopo contra omnes personas dictum Dominum Episcopum in Roccha Sanctæ Mariæ molestantes, præsentibus testibus vocatis, & rogatis Domino Bonifacio de Raicharia,

charia,& Rolando Callegario de Roccha, Guidone, Gulielmo de Zeado,& alijs.

Ego Bonacchus de Roccha Notarius rogatus scribere scripsi.

Qui Episcopus de anno 1233. cessit Episcopatui, & cum Lugduni esset, obijt de anno 1251. Sepultus in Ecclesia Fratrum prędicatorum cum eiusmodi, vt ferunt, elogio. Hic iacet Zelantissimus prędicator, & laudator nominis Iesu Christi, aßertor fidei, & totius veritatis, vir permagnæ sanctitatis, & ornamentis pietatis pater venerabilis Dominus Gulielmus Sabinus Episcopus Cardinalis. Sed cum ego eßem Lugduni Nuncius Clementis Octaui apud Henricum Quartum Galliæ Regem, omnem adhibui diligentiam, vt inuenirem dicti Episcopi sepulchrum apud dictos fratres prædicatores, & nihil vnquam inuenire potui, &c.

ALBERTVS.

1234 *IN locum Gulielmi successit Albertus Boschettus Ciuis Mutinensis, Gerardi viri nobilitate, ac prudentia inter ciues Mutinenses præclari filius, qui à prima adolescentia Sancti Dominici instituta est secutus, & tantam sibi virtutis opinionē comparauit, vt Anno 1234. tertio nonas Aprilis Ecclesiæ Mutinensis per cessionem Gulielmi vacantis ab vniuerso Clero, & populo fuerit acclamatus Episcopus, atque deinceps consecrationis munus tertio Id. Iunij rite obierit, sed in ea incidit tempora, cum & intestinis discordijs, & externis bellis exagitata Ciuitate, quæ sui muneris partes erāt, vix voto explicare potuit, suscitata enim Guelforum, & Gibellinorum factione, ob apertas Friderici Secundi Romani Imperatoris cum Romano Pontifice simultates, & si ciuiles discordię per id tempus diligentia, ac studio pręstantissimi viri Gerardi Boccabadatæ ciuis Mutinæ Ordinis Minorum, & Sancti Francisci socij conquieuissent, tamen recrudescentibus iterum odijs eiecti ab Vrbe, quæ Friderico adhærebat, Guelfi omnes, ac in his Boschetti cum Alberto Episcopo, qui Pontifici fauebant, exulare coacti sunt. Quamobrem Friderico anathemate notato, ac Mutinensibus per Gregorium Nonum Pontificem Maximum à sacris piorum communione segregatis atrox bellum inter Bononienses, ac Mutinenses exortum est, in quo Mutinenses sapius afflicti, demumque Hentio Friderici filio capto intra mœnia obsessi, omnique spe auxilij destituti conditiones pacis ab Octauiano Cardinale Legato oblatas acceperunt, &*

runt, & tunc temporis Albertus Episcopus patriæ malis commotus, qui tunc Bononiam cum Guelfis exulibus se receperat apud dictum Cardinalem Octauianum Vbaldinum Pontificium Legatum, res ita composuit, vt, quicquid reconciliati Gibellinis Guelfi pro mutua inter se coniunctione sarcienda pepigerant, receptum, quietique, & concordiæ publicæ consultum opportunè fuerit. Promissa deindè Sedi Apostolicæ debita reuerentia, pacisq; conseruatione, ciues ab interdicto Ecclesiastico absoluti, & ad sacra restituti Albertũ Episcopum, *& Iacopinum Rangonum cum Guelfis in Vrbem redeuntes ingẽti gaudio receperunt, & mox etiam præsente Ocrauiano Legato pacem osculis confirmarunt. Post hæc veniente* Mutinam *Innocentio Quarto summo Pontifice, qui peracto Lugduni Concilio anno* 1251. *è Gallia reuertebatur,* Episcopio *per Albertum splendidissimè parato, effusaque in omnem magnificentiam Ciuitate parem tanto hospiti honorem exhibuerunt. Indè recuperato Carporum Oppido, quod Vgo* Sanuitalis *Parmensis Innocentij Pontificis nepos per fraudem occupauerat, & Friniatum populis, qui a Bononiensibus solicitati defecerant, donec de iuribus vtriusq; partis disceptaretur, ad obsequiũ consuetum coactis, satagente in omnibus Alberto* Episcopo *aucta est multo magis Ciuitatis gratulatio, & in optimum Antistitem obseruantia; laborabat enim ille pro commodis, & quiete ciuium suorum; & cum diuisos nobilitatis animos videret, vndè totius Reipublicæ perturbatio nascebatur, vt Boschetti Gentiles sui, Rangoni, ac Rodelij cum Gorzanis in gratiam redirent cura indefessa perfecit; & vt alia, quæ sui muneris erant, abunde impleret,* Synodo *Prouinciali à Philippo Archiepiscopo Rauennati indictæ anno* 1253. *tertio nonas Aprilis interfuit; Iudex postea delegatus à* Summo *Pontifice super molestijs eidem Philippo ab Arimineusibus illatis causa cognita mense Martio anno* 1258. *scripsit ad Ioannem electum* Episcopum *Sassinatem, vt infra duodecim dies Ariminum iret, & Prætori, Præfecto,* Senatuique *sacris interdiceret, quod ab* Episcopo *Cæsenate admoniti ab iniurijs, & damnis Philippo* Archiepiscopo, *&* Ecclesiæ *Rauennati inferendis non destitissent; Inter hæc pijs alijs operibus intentus multa in Ciuitate, ac* Suburbijs *sacra Templa restaurauit, plura ædificauit, receptis nouis Religiosorum ordinum paupertatem præcipue profitentium familijs, quarum adhuc illustria in Vrbe monasteria conspicimus, nam anno* 1243. *sodalibus suis Dominicanis in Parochia sancti* Marci *de consensu Canonicorum locum statuit, ac stipem non exiguam præbuit. In sequenti Anno Fratribus* Minoribus *è Prato Hentisonis extra portam Baioariam in Vrbem translatis primum lapidem Aedi Franciscanæ iecit. Fratres autem sancti Augustini ad portam Ciuitatis nouæ considentes anno* 1245. *benigne iuuit, & de anno* 1255. *concessit* Ecclesiam *sancti Leo-*

nardi

nardi extra portam Baioariam Fratribus Cruciferarijs, reseruato sibi censu vnius libræ ceræ; postmodum de anno 1257. die decimo quinto Octobris arã maiorem sancti Georgij de Ganazeto dedicauit, sub ea repositis sanctorũ Georgij, Ioannis Baptistæ, Bartholomęi, Stephani, Syluestri, & aliorum multorum reliquijs; Anno 1260. Aedem sanctissimę Trinitatis è Vico Saliceti amotam in Vicum Albareti transtulit, erectamque Canonicis Regularibus sub institutis sancti Augustini degentibus assignauit; Sanctorum Pauli, & Iacobi Apostolorum Aedes anno 1262. absolutas ritu solemni dedicauit; & cũ per id fermè tempus ciues extructũ Palatiũ publicum, ac auctũ murorum ambitu satis pro Ciuitatis dignitate exornaßent, ad studia bonarum artium ob strepitum bellorum intermißa in publicis scholis erigendis Alberto Episcopo hortante animum intenderunt, conductis pro amplo stipendio celeberrimis professoribus, inter quos Gulielmus Durandi Speculator vocatus, Guido Suzarius, & Albertus Galeoti, præclarissimi viri, qui ius Cæsareum, ac Pontificium interpretabantur. Præterea eodem exhortante Episcopo populus Mutinensis ad ea, quæ pietatem spectant, non minori studio animum applicuit, orta enim apud Italos noua quadam religione, qua homines vsque ad vmbilicum nudati inter diuinas preces terga flagris in expiationem peccatorum cædebant, pacem, ac misericordiam à Deo passim implorabant, vltro iurgia sedatis odijs deponebant more à Perusinis ducto, qui sub vexillis coacti cum hoc sanctitatis exemplo ad proximas Vrbes accesserant, alijsque subindè in Hetruria, Piceno, ac Flaminia accensis, tradita quasi per manus eadem disciplina Bononienses ita permouit, vt anno 1260. pridie Cal. Nouembris Mutinam cateruatim procedentes in sacra sancti Geminiani Basilica insignem corporum verberationem ediderint; qua ex re commota Ciuitate singuli facta iniuriarum omnium remissione se inuicem osculantes, ac sacra confessione purgantes supplicationibus incumbebant, inde vexillo erecto nullo conditionis discrimine nobiles, ac viles permixti supra viginti hominum millia Alberto Antistite, ac sacratis viris præcedentibus Regium contenderũt, atque ibi facta Flagellatione, eandem Parmæ, quo progredi voluerunt, magno feruore iterarunt. Ab hac pia populorum peregrinatione annus ille generalis deuotionis appellatus fuit, & propterea sub flagellatorum sancti Petri Martyris nomine instituta fuit deinceps Mutinæ sodalitas à fratre Gulielmo Cella xenodochij, quod domus Dei vocatur, Rectore, quæ ab eodem multorum bonorum instituta hæres in recipiendis pauperibus peregrinis, & ægrotis curandis præcipuam postea hospitalitatem exercuit; biennio post cum altera Bononiæ deuotorum vocata societas pro pluuia in magna agrorum sicitate è Cœlo eliciendа supplex Mutinam sub purpureis vexillis venißet, à populo, Antianis;

& Alberto

& Alberto Episcopo vsq; ad Castrum Leonis obuiam progressis excepta Basilicã adiuit, atq; ibi dũ oẽs Cœlestia suffragia proni exposcunt, prolato Sancti Geminiani brachio de more ab Episcopo signati rem prorsus admirabilem conspexere; mulier enim dudum antè a dęmone vexata ad primum sacri brachij aspectum confestim sanata vniuersos ad Deum summa voce laudandum compulit, pluuiaq; opportune impetrata læti domum abiere. Hic Episcopus de anno 1262. de mandato Domini Alexandri Papę inuestiuit magistrum Petrum militiæ templi in Rectorem, & Pastorem domus, siue Hospitalis iuxta pontem sancti Ambrosij super ripam Scultemnę prope Mutinamcum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, extant tabulę huius concessionis in Archiuio Mutinę. Sub hoc Episcopo etiam designatafuerunt iura Episcopatus in Castro Rocchæ Sanctæ Mariæ, vt in documento desuper confecto, vbi habetur dictum Castrum esse Episcopi, & vnum Nobilem de Balugola teneri illud custodire. Idem Albertus de anno 1256. Indictione decima quarta, die Iouis secundo intrante Martio super oblationibus sancti Geminiani fecit decretum, quod libuit hic apponere, & est huiusmodi.

NOs Albertus miseratione diuina Mutinensis Episcopus pias prędecessorum nostrorum consuetudines cum Mutinensi Capitulo, & eius voluntate, & consensu expresso, videlicet cum Ioanne Archiprębytero, Vidino Præposito, Domino Bartholomeo de Boschettis, Domino Godo, Domino Frãcisco de Foliano, Domino IacopinoTancolini Ecclesiæ Mutinensis Canonicis ad preces & instantiam dilecti nostri Vbaldini massarij domus, & operis Sancti Geminiani humiliter, & deuote supplicantis diligenter, & vnanimiter attendentes, præcipue in ijs, in quibus speciali prærogatiua obsequij Beati Geminiani patroni nostri fabricæ virorum, ac mulierum longinquam perspeximus deuotionem certis temporibus, ac diebus hactenus honoratam, nec non & in præsentiarum studiosa deuotio eorundem decorant, & decorat, affectione multimoda ꝓuocamur huiusmodi cõsuetudines approbare. Quapropter mãdamus. & firmiter sãcimus, vt de cętero nũcij fabricæ memoratę dũtaxat cuiuslibet anni septimana quę dicitur Sãcta, & illa septimana, in qua euenire cõtigerit omniũ Sãctorũ Festiuitas, eleemosynas, & grata subsidia libere ꝑcipiãt, exclusis tã de Ecclesijs, quã de alijs locis ciuitatis, & Dięcesis Mutinæ Quæstuarijs vniuersis; Insuper volumus, & mandamus, vt secunda feria cuiuslibet mensis, in qua maioris Ecclesiæ campana pulsare contigerit pro calendis, campana aliqua eadem die alibi in manè nõ pulsetur pro populo conuocando, & sicut in prædictis duabus septimanis, ita

nis, ita & in huiusmodi secundis ferijs omnes Quæstuarij, & quicunq; alij, vel aliquibus eleemosynas petere vellent cum tobalea, seu pano in disco, aut sine disco, siuè cum literis cuiuscumque remissiouis per Massarium fabricæ, vel per eius nuncios de Ecclesia pœnitus expellantur auctoritate nostra, collecta, siquam tunc fecerint, nihilominus spolientur in vtilitate dictæ fabricæ conuertenda. Hæc autem omnia sub pœna exeommunicationis præcipimus obseruari, & de omnipotentis Dei misericordia, & meritis Beatissimæ Virginis Mariæ, necnon & Gloriosissimi Geminiani Patroni nostri confisi, omnibus, qui prædictis diebus eleemosynas prædictæ fabricæ de bonis proprijs largientur, quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia in Domino misericorditer relaxamus; In huius autem rei euidentiam pleniorem iussimus huic paginæ nostrum sigillum appendi, & dictum Capitulum suum similiter sigillum iussit appendi, & præsens scriptum manu propria roborari iubemus.

Actum Mutinæ in Episcopali Palatio præsentibus, & rogatis Dominis Magistro Gerardo Archipręsbytero Bononiensi, Doctore Decretaliũ, Rainerio Archipręsbytero de Albareto, Bonauentura Clerico Sancti Thomæ de Lama, & Alberto Criuellario.

Ego Petrus Notarius quondam Bonifacij Aspectati filius interfui, & præcepto dicti Domini Episcopi, & voluntate, & consensu dicti Capituli Mutinæ rogatus scripsi.

Hæc scriptura concessionis fuit postmodum confirmata per Sedem Apostolicã, & etiam de anno 1259. fuit confirmata per generale Consilium Mutinæ; sicut etiam de eodem anno in publico generali Consilio statutum fuit, quod in honorem Dei, & Beatissimi Geminiani dari debeant in eius festo cerei, & palium ad vsum Ecclesiæ donari, & offerri. Hæc acta omnia conseruantur apud Canonicos Ecclesiæ Mutinensis; hic Episcopus de anno 1242. volens informari de iuribus, quæ habebat Episcopus in Castro Rocchæ Sanctæ Mariæ, & eius Curia elegit personas iuratas, quæ se informarent, & iuramento referrent, quę retulerunt, vt in eorum relatione continetur, quæ registrata est in Catasto maiori Ecclesiæ Cathedralis. Huius Episcopi tempore floruit Beatus Gerardus Rangonus professus Ordinis Minorum, qui post multa officia in sæculo non minus iuste, quàm pie perfuncta, tandem se Religioni Diui Francisci addixit, in qua diù religiosissime vixit. Postremo cum viæ intra Vrbem glarea, & silice constratæ essent, & pro molarum frumentariarum vsu purgandi, & irrigandi commoditate, curauit Albertus, vt deriuatio Canalis,

quod Clarum dicitur, per mediam Vrbem excurrentis fieret, qui, vt aiunt antiqui Annales Mutinę, liberali bonorum concessione etiam opes, & redditus publicos auxit, & cum magno patriæ mœrore ob pietatem, prudentiam, & probitatem singularem anno 1264. è viuis decessit, &, si Sansouino credimus, fuit vir morum, & sanctitate vitæ adeo insignis, vt post mortem inter beatos connumeratus fuerit, &c.

MATTHAEVS.

1264 ALberto successit Matthęus, qui fuit ex antiqua, & nobili Piorum familia, Basilicæ Cathedralis prius Canonicus, & Ecclesiæ Sancti Georgij de Ganazeto Præpositus, fuit religione, ac vitæ sanctitate multum insignis, patriæ amantissimus, at in sedandis nobilium discordijs parum fortunatus, vix enim Episcopatum inierat, cũ vocatus in Italiam ab Vrbano Quarto Carolus Comes Andegauensis Ludouici Gallorum Regis frater, vt aduersus Manfredum Friderici Imperatoris filium Gibellinorum Principem Pontificias partes tueretur, ita Guelforum animos tum alibi, tum Mutinæ erexit, vt accitis Bononiensibus, & Florentinis socijs ciues Gibellinos viribus, non animo impares Vrbe detruderint anno 1264. die 14. Septembris, ac bona eorum Florentinis diripienda dederint, Gibellinis autem Lambertatiorum Bononiensium auxilio fultis multa incommoda rependentibus, ac inde graue bellum inferentibus; intantum aucta est perniciosarum factionum dira æmulatio, vt tentata sæpius ex officio Pastorali per Matthæum Episcopum concordia optato semper successu careret, nec non Michaelis Paleologi Græcorum Imperatoris, dum ad Concilium Lugdunense proficisceretur de anno 1270. interposita auctoritas, aut ipsa demum Gregorij Decimi summi Pontificis sacrosancta Maiestas, quibus nihil maius, nihil augustius reperiebatur, in persuadenda pace quicquam proficeret; nam vterque Regio apparatu (vt par erat) per eos dies Mutinæ exceptus speciosum non minus, quam iucundum in tot malis afflictæ Ciuitati spectaculum præbuit; indè quiescentibus Gibellinis Guelfi ipsi, qui domi regnabant, ex noua quadam seditione inter se diuisi tot cædibus, ac ruinis fatiscentem iamdudum Ciuitatem impleuerunt, vt disiecta demũ Respublica, & oppressa libertas sub alieno tandem Imperio conciderit. In his difficultatibus quam plurimum commendatur Matthæi Episcopi ęquanimitas, ac moderatio, Pijs enim Gentilibus suis, qui præcipuè inter Gibellinos eminebant, à patria cum alijs exturbatis, ipse immotus, imperturbatusq;, & quod

mirum

mirum est, in tanto ciuium dissidio nemini inuisus, aut suspectus domi permansit, Ecclesiasticam dignitatem in summa ciuium licentia contra multorum audaciam illæsam conseruauit, pacem, & quietem publicam, quantum potuit, studiosissime procurauit. Ipse tamen, ne per aliquos potentes arx de Clagnano in districtu Friniani occuparetur cum iuribus, & bonis ad dictam Arcem pertinentibus, & ipse eam non posset defendere, eiusdem arcis curam, & custodiam Dominis Bonacursio, & Guidino de Friniano commisit, ipsisque de anno 1265. inuestiuit de dicta arce vsque ad centum annos. Sub hoc Episcopo Gulielmus de Cella Rector, & Administrator Hospitalis domus Dei, cuius meminimus in vita præcedentis Episcopi, suum condidit testamentum de anno 1273. in quo sibi hæredes instituit homines, qui sunt, & qui pro tempore fuerint de Societate sancti Petri Martyris de Scoua Mutinæ, sub conditione, quod nihil possint alienare. Et sub eodem Episcopo de anno 1272. quidam Frater Crescentius Fusarius de Tertio Ordine Humiliatorum suum fecit Testamentum, in quo ordinauit Eremitorium in porta Baioariæ supra Circam ad faciendam ibi pœnitentiam per personas Deo seruientes. Idem Episcopus Hospitale erexit dictum delle Salse in Curia sancti Petri in Insula de Anno 1276.; eiusdem Episcopi tempore addita fuit altera campana Turri maioris Ecclesiæ videlicet anno 1279.; & tandem, cum per aliquos annos Ecclesiam Mutinensem in summa rerum varietate administrasset, obijt, &c.

ARDITIO.

1280 Hic Episcopus, antequam assumeretur ad Episcopatum, exercuit officium aduocationis in Curia Romana, vt ipsemet asserit in suo Testamento condito Mediolani in Canonica sancti Laurentij maioris dictæ Ciuitatis; erat ipse patria Mediolanensis de nobili Comitum familia; huius Episcopi tempore Ciuitas regebatur sub Capitaneo, & Illustrissimus Dominus Latinus tunc erat Legatus Apostolicus in partibus istis, & cum Mutinenses plura statuta fecissent contra libertatem Ecclesiæ, fuerunt per dictum Legatũ excommunicati, & Arditio Episcopus de anno 1283. per Dominum Bartolotum Archipresbyterum plebis de Cosconio procuratorem suum monuit Albertum Buzzalem, & alios deputatos ad faciendum statuta populi Mutinensis, vt non debeant facere statutum, seu decretum, quod sit contra libertatẽ Ecclesiasticam, aut contra Episcopum, & si quod fecerint, illud habeant reuocare, & ipse Episcopus præcepit Domino Potestati, & Capitaneo Ciuitatis

Mutinæ, vt debeant delere de libro statutorum Communis Mutinæ omnia statuta, & prouisiones contra libertatem Ecclesiæ, vel contra sententiam fratris Latini *Sedis Apostolicæ Legati, & Dominus Iacobus Cutica Iurisperitus in Consilio generali Communis* Mutinæ *præsente Ardicione Episcopo, & eius nomine monuit Potestatem, & Capitaneum, & viginti quatuor defensores, totumque Consilium Mutinæ ibi conuocatum, quatenus seruare debeant pacta inita inter Episcopum* Mutinæ *ex vna parte, & Commune eiusdem Ciuitatis ex altera, quæ dicuntur esse in libro statutorum, & , vt omnia statuta, & prouisiones contra libertatem* Ecclesię *de suis abradant Capitularibus, & vt obseruent Capitula, & sententias fratris Latini Legati Apostolici; qui Capitaneus, & defensores cum Consilio generali Mutinæ decreuerunt; quod statuta, prouisiones, & reformationes, si quę essent contra libertatem Ecclesiasticam, nullius sint momenti, ita quod cuilibet clerico debeat reddi ius, & audientia exhiberi, coram quo voluerit, ex Iudicibus, Potestatis, vel Capitanei; quod decretum postea fuit per Notarium Domini Capitanei, & vigintiquatuor defensores populi Mutinensis intimatum Domino Ardicioni Episcopo occasione monitionis per ipsum Episcopum factæ eisdem iuxtà tenorem litterarum Reuerendissimi Patris* Domini *Episcopi Portuensis Apostolicæ Sedis Legati; qui Episcopus die sequenti, qui fuit dies Cinerum in Congregatione Archipręsbyterorum, & pręsbyterorum Mutinæ fecit legi decretum, seu scripturam continentem dictam ordinationem, seu reformationem factam die externo à Capitaneo populi* Mutinæ *cum Consilio eiusdem populi; Item legi fecit literas dicti Episcopi Portuensis, & Legati Apostolici super monitione facta dicto Capitaneo, & defensoribus, quibus peractis postmodum Dominus Latinus Legatus Apostolicus commisit Reuerendo Priori de Manso Tolosanæ* Diœcesis *Bononiæ commoranti, vt relaxet sententias, & pœnas latas contra Commune Mutinę occasione statutorum per eos contra libertatem Ecclesiasticam factorum; & de mandato huius* Episcopi *Ardicionis fuit compilatus liber Censualis maior Episcopatus, & de Anno* 1284. *recuperauit Ecclesiam Sancti Leonardi, quam Albertus Episcopus concesserat* Fratribus *Cruciferis, & de eodem anno instituit Clericum in* Ecclesia *sanctæ Sofię de Blanconise de districtu Creppacorij, & in Ecclesia sancti Theodori de eodem districtu, quę pertinent ad Episcopum Mutinæ. Postremo de anno* 1286. *cum esset Mediolani; condito, vt diximus, Testamento, reliquit* Ecclesiæ *Mutinensi mitram suam pręciosam, & baculum Pastoralem argenteum, quę mitra, & baculus fuerunt postea consignati, & ponderati Philippo* Episcopo, *vt infra. defunctus est, & sepultus in Ecclesia sancti Laurentij maioris* Mediolani, *&c.*

BAR-

BARTHOLOMAEVS.

1285 *SAnsouinus, & Paninus vterq; in Tractatu familiæ Boschettæ asserunt post Gibellinos Mutina eiectos, cum Guelfæ factionis potentia ad Rangonos, & Boschettos redacta esset, Episcopatum accepisse Bartholomæum Boschettum filium Symonis, virum multa pietate insignem, qui per paucos dies vixit, sed morte præuentus cum magna patrię iactura bene inchoatam Ecclesiæ suæ administrationem cum vita deseruit. Addit etiā Paninus de quodam Vgolino etiam de Boschettis, quod fuerit electus Episcopus Mutinæ, sed ob humilitatem suam tantam dignitatem recusauerit, ego autem nec in scripturis Archiuij, nec in alijs documentis publicis, vel priuatis aliquod reperire potui, &c.*

PHILIPPVS.

1287 *POst Bartholomęum Boschettum Philippus Frater ordinis Minorum in humanis, ac diuinis literis apprimè eruditus, & ob merita, gratamq; ciuibus Alberti, & Bartholomęi memoriā in eorum locum designatus fuit Episcopus, solemnemq; Ecclesiæ ingressum obiuit mense Decembri die Sancti Nicolai festo anno 1287. metu potius consternata, quam gratulante Ciuitate, eò quod Gibellini Guelfis exulibus Saxolorum opera coniuncti Veronensiū, ac Mantuanorum auxilio bellum pararent, & iam infestis armis imminerent, sed Rangonis, & Boschettis manu militari accurrentibus ante ipsa Domini nostri Natalitia festa ad portam Ciuitatis Baioariam pugnatum est, eo euentu, ut multis Gibellinorū interfectis, & pluribus captis, Saxoli rursus abire cōpulsi sint, & cum pars vtraq; noua moliretur, Philippo intercedente anno sequenti 1288. de pace transactum est, verum odijs in specie tantum sedatis, non detersis tumultuantibus iterum Saxolis, pax ea breuis fuit, Deo, vt scitè Philippus præmonebat, ita permittente, vt pessundata Ciuitatis infecta libertate externi Principis assisceretur Imperium, sub quo ęquata singulorum potentia, quies, & securitas publica certo iustitiæ præsidio muniretur, nec aliud certè opportunius remedium euentus comprobauit, fessa enim tot malis Ciuitas missis ciuium nobilissimis Philippo Episcopo, Lanfranco Rangono, ac Vidone Gui-*

dono oratoribus totius populi nomine nono Cal. Februarij 1289. se cum centum triginta quinq;, vel vt alijs scribunt , centum quinquaginta oppidis subiectis ditioni Opizonis Attestini Ferrariæ Marchioni tradidit; ab eo Saxoli,& alij extorres in patriam reuocati,& quæ ad rerum tranquillitatem spectabant,maturo,atq; expedito consilio constituta fuerunt . Sardus Pigna, & Leander Albertus Vidonem Episcopum, & Lanfrancum solos oratores referunt,sed in Episcopi nomine,non secus ac in oratorum numero falluntur, vt Paninus,& Sansouinus animaduertunt,nec Vidonis Episcopi cuiusquam vlla per id temporis in publicis monumentis habetur mentio; Sardus etiam scribit Ciuitatem Opizoni subditam fuiße die decimo quinto Decembris 1288. Sed alij omnes,& annales Mutinenses ab eo dissentiunt. Pace tandem hoc modo parta, Regiensibusq; vicinorum exemplo se se pariter in fidem Opizonis tradentibus,insignis militum Mutinensium manus in Asiam transfretauit,sacra expeditione per Nicolaum Quartum Summum Pontificem promulgata , vt Christianis contra Saracenos Ptolemaidem tenentibus subsidium ferrent, ne capta illa Vrbe Soldanus Babiloniæ Asia vniuersa potiretur. Huic Episcopo Opizo Marchio Estensis iurauit fidelitatem, & iuramentum prædictum fuit præstitũ per Gerardum de Bondino dicti Marchionis procuratorem , & hoc pro fundo, quod tenebant Misotti in terris de Finali,& vallibus. Instrumentum dicti iuramenti fidelitatis rogauit Dominus Delaius de Roncaleis Notarius. Idem Episcopus inuestiuit Nobiles de Balugola de feudo Rocchæ Sanctæ Mariæ , vt apparet in documento inuestituræ existente apud ipsos Nobiles de Balugola;& cum vixißet vsq; ad annum 1290. tandem defunctus est, in eiusq; locum electus fuit Iacobus, de quo infra,&c.

IACOBVS.

1291 F*Ratres,qui erant in Ecclesia Sancti Donini Mutinæ ordinis sancti Augustini, petierunt à Iacobo Episcopo, vt sibi liceret dictam eorum Ecclesiam, Fratres,& Capitulum tradere cum omnibus iuribus,& pertinentijs suis ordini fratrum Eremitarum dicti Sancti Augustini,eximendo ipsum locum sancti Donini, & omnia bona eius,ac etiam Priores , & fratres eiusdem loci ab omni lege iurisdictionis,& Diæcesana, vt in tabulis desuper confectis continetur,quæ sunt huiusmodi.*

Iacobus

IAcobus miseratione Diuina Mutinensis Episcopus, dilectis sibi in Christo fratri Laurentio de Picicoctis Priori loci, & Ecclesię Sancti Donini ordinis Sancti Augustini Ciuitatis Mutinę, & fratribus dicti loci, & Ecclesię, eorumq; successoribus salutem, & in Domino pœnitentiam fructuosam. Pastoralis officij diligentia profetico docetur oraculo errantem ad semitam reducere veritatis, ait enim suo vaticinio Hieremias, si separamus pręciosũ à vili, quasi os Dñi erimus. Sane vestra nobis exhibita petitio hanc seriem continebat. Frater Laurentius de Picicoctis Prior locì, & Ecclesiæ Sancti Donini ciuitatis Mutinę ordinis Sancti Augustini, & ipsi fratres, & Capitulum dicti loci Significant Sanctitati Vestrę propter longam absentiam fratris Vetuli Prioris quondam dicti loci, & propter longam infirmitatem, & debilitatem eiusdem, ipse locus ad tantam desolationem deuenit, & fratres sępe dicti loci ad tantam sunt desolatiouem prolapsi, quod nisi opportuno eis, & salubri remedio consulatur eisdem, vix tam spiritualiter, quam temporaliter adijcient, vt resurgant, & idcirco dictus frater Laurentius Prior, & fratres dicti loci super pluribus excogitantes remedijs, vt ipsorũ prouideretur statui, & saluti, & in eis, & in ipso loco reformaretur honestas, & regularis obseruantia impleretur, omnisq; dissolutionis, & vagationis tolleretur materia, deliberauerunt, habito consilio sapientium, seipsos, & locum prædictum cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis ordini fratrũ Eremitarum Sancti Augustini tradere, & transferre, cum non videant, nec cognoscant, quod per aliquem alium modum ita bene eorum status valeat reformari. Quare supplicant idem Prior, & Fratres, & petunt à benignitate vestra, quatenus super pręmissis animarum eorum, & corporum desolita vestra pietate compatientes, eisdem se ipsos, & dictum locum Sancti Donini cum omnibus iuribus suis mobilibus, & immobilibus, priuilegijs, indulgentijs, & gratijs per quamcunq; personam ipsi loco, & fratribus eiusdem loci concessis, prędicto ordini fratrum Eremitarum tradendi, & transferendi licentiam dignemini concedere, & consensum, eximendo ipsum locum Sancti Donini, & omnia eius, ac etiam Priorem, & fratres eiusdem loci ab omni lege iurisdictionis, & Diœcesana, vt in omnibus eadem exemptione gaudeãt, immunitate, priuilegijs, & gratijs, & indulgentijs, ac consuetudinibus, quibus locus, & ordo supradictorum fratrum Eremitarum de Mutina noscitur congaudere. Insuper ex nunc benedicere primarium lapidem, ac ipsum lapidem benedictum tradere Velitio Priori fratrum Eremitarum prędictorum, & eidem

dem committere, vt ipsum lapidem ponere possit, & Ecclesiam cum cœmeterio construere, vbicunque decreuerint supradictus Prior, & fratres Eremitę Sancti Augustini de Mutina a dicto loco Sancti Donini infra vsq; ad stratam publicam inter Circam, & fœueam Ciuitatis, non obstante alicuius personæ conditione, quæ vestræ iurisdictionis existat. Concessionem autem huiusmodi, & licentiam taliter concedere, & roborare velitis, vt perpetuam habeant firmitatem. Quare nos considerantes, quod iustis petentium desiderijs non est denegandus assensus, & attendentes, quam pręciosum est in obseruantia Regulari deseruire omnium Conditori, & quam vile est Religioni obnoxios pati, & Religionem subire desolationem, ac dissolutionibus lasciuis, & vagationibus inhęrere, decreuimus vestram huiusmodi petitionem admittere, vt quod pręciosum est, separemus à vili, & errantem ad salutis semitam reducamus. Igitur pręfatam petitionem vestram super ea deliberatione habita diligenti admittentes benigne tradendi, & transferendi vos, ipsumq; locum Sancti Donini cum omnibus iuribus suis mobilibus, & immobilibus, priuilegijs, gratijs, & indulgentijs per quamcunq; personam ipsi loco, & fratribus eiusdem loci concessis ordini fratrum Eremitarum supradictorum vobis de consilio fratrum nostrorum, & consensu videlicet Canonicorum, & Capituli Mutinensis licentiam tenore præsentium exhibemus, & ipsi traditioni, & trãslationi nostrum infrascriptum assensum, eximentes vos, ipsum locum Sancti Donini, & omnia iura ipsius, ac etiã Priorem, & fratres eiusdem loci ab omni lege iurisdictionis, & Diœcesana, decernentes, vt in omnibus, & per omnia idem locus Sancti Donini, idemq; Prior, & fratres, & bona dictorum fratrum, & loci, eadem exemptione, libertate, & immunitate gaudeant, nec non & priuilegijs, gratijs, & indulgentijs, & consuetudinibus, quibus locus, & ordo supradictorũ fratrum Eremitarum de Mutina in omnibus noscitur congaudere. Pro qua quidem licentia, & assensu, ac etiam exemptione, traditione, & translatione decernimus in signum confutatę proprietatis, & ad indicium vestrę perceptæ plenariæ libertatis per vos, vestrosq; successores præstari annuatim debere nobis, nostrisq; successoribus, & Episcopatui Mutinæ in festo Sancti Geminiani, vel infra eius octauam duas libras cerę nomine census. Insuper primarium lapidem per nos benedictum ex nunc præsentialiter damus, & tradimus Priori Conuentus prædictorum Fratrum Eremitarum de Mutina plenam, & liberam potestatem, concedentes eisdem, ac super hoc vices nostras sibi totaliter committentes, ipsum lapidem ponendi, pro Ecclesia, & cœmeterio construendis, vbicunque

prę-

prædicti Prior, & fratres Eremitani Ordinis Sancti Augustini decreuerint à dicto loco Sancti Donini infra vsque ad stratam publicam inter Circam,& foueam Ciuitatis,non obstante conditione alicuius personæ nostrę iurisdictionis saluo,& reseruato monasterio Sanctæ Eufemię Ciuitatis Mutinæ censu vnius librę cerę, & nouem denariorum Mutinæ paruorum,quem vos eidem monasterio consueuistis,& tenemini reddere annuatim. In cuius rei maius testimonium, & euidentiam pleniorem hoc præsens publicum Instrumentum nostri Sigilli,& Sigilli Capituli Mutinensis appensione fecimus communiri, & subscriptione nostrorum Canonicorum,& Mutinæ Capituli roborari. Actum in Episcopali Palatio Mutinæ anno Domini à natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, Indictione quinta,die Sabbati duodecimo mensis Iulij,præsentibus testibus Dominis Ioanne Archipręsbytero Plebis de Montibus,Bennate de Pulixina,Gulielmo Guidoto, Francisco filio Domini Vguzoni de Boccalatis, Alberto Filio Domini Aegidij quondam Domini Marci de Ferraria.

Ego Bartholomęus de Barillarijs Notarius, & scriba dicti venerabilis Patris prædictis omnibus interfui,& de mandato suprascripti Reuerendi Patris scripsi,& publicaui.

Et ego Bonincontrus Archipręsbyter Ecclesiæ Mutinensis prędictis omnibus interfui,& consensi, & ad maius testimonium manu propria me subscripsi.

Ego Pilus Guerrę Canonicus Mutinæ interfui,& consensi,& manu propria me subscripsi.

Ego Vbertus de Bobio Canonicus Mutinę interfui,& consensi,& manu propria me subscripsi.

Ego Barnabeus de Boschettis Canonicus Mutinæ interfui, & consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Iacobus de Canzolino canonicus Mutinæ interfui, & consensi, & præsenti manu mea subscripsi.

Ego Cinthius canonicus Mutinæ interfui, & consensi, & manu propria me subscripsi.

Ego Bonadamus de Boschettis canonicus interfui,& consensi,& pręsenti manu mea me subscripsi.

Ab eodem Episcopo Iacobo fuit concordata quæstio,& controuersia, quæ vertebatur inter illos de Balugola super palafreno Episcopi,& super equo, & armis facientis duellum; tabulæ huiusmodi compositionis sunt infrascriptæ videlicet.

IN Dei nomine, anno eiusdē natiuitatis 1291. Indictione quarta Mutinæ in Camera Domini Episcopi, die Iouis quarto mensis Ianuarij, præsente Domino Conforto de Barbarino Iudice, Domino Federico de Sancto Marco, Domino Bernardo de Balugola, Anselmino, & Francisco Munegato familiaribus Domini Episcopi, & Domino Iacobino de Mōbaranzono testibus rogatis & vocatis. Cum hoc esset, quod venerabilis Pater Dominus Iacobus Dei gratia Episcopus Mutinensis inuestisset de iure feudi Dominos de Balugola de feudo antiquo, quod ipsi, & sui prædecessores tenuerunt ab Episcopatu Mutinæ, & nunc tenent videlicet de palafreno, quem habere debent ab Episcopo, quando primo consecratus intrat Ciuitatem, & de feudo, & de custodia camporum, & duellorum, de qua custodia habere debent, septem libras Imperiales, & vnū Imperial; & equum, si equester fieret duellum, & arma succumbentis, seu deteriorem partem habentis, & de omnibus, & alijs feudis antiquis, quæ legitimè ostenderint habere debere, ita quod non sit contra formā sacramenti ipsius Domini Episcopi, secundum partes contingentes vnumquemq; ipsorum, prout de prædictis omnibus plenius continetur in quodam instrumento scripto sub millesimo ducentesimo nonagesimo, Indictione tertia die vigesimo mensis Nouembris manu mei Beumati de Pulisma Notarij ipsius Domini Episcopi; & Dominus Lanfranchinus filius quondam Domini Pipioni de Balugola coram prædicto venerabili Patre Domino Iacobo Dei gratia Episcopo Mutinensi peteret sententiari, & pronunciari quartam partem dictorum feudorum palafreni, duellorum, & armorum, denariorum, & equorum, si equester fieret duellum, & aliorum feudorum antiquorum, quæ acquisiuisset, ac etiam iure feudi inuestitus fuit Zacharias filius quondam Domini Francisci de Balugola, ad se pertinere, ac etiam ab ipso Domino Episcopo inuestiri, petitioni cuius contradicebat Franciscus Domini Zachariæ de Balugola, dicens Patrem suum non potuisse alienare prædictam quartam partem, & petens etiam sibi debere fieri inuestituram de prædicta quarta parte prædictorum feudorum, & hoc dicebat cum auctoritate Domini Iacobini de Mombaranzono dati sibi, ... vnde prædictus Dominus Episcopus auctoritate, qua fungitur, visis instrumētis, & rationibus vtriusque partis, volens prędictam quæstionem, & discordiam sedare sententiauit, & pronunciauit, ac etiam iure feudi inuestiuit cum annulo, quem suis tenebat in manibus, prædictum Dominū Lanfranchinum recipientem pro se, & filijs suis masculis, & legitimis

tantum, & hæredibus ab eo descendentibus de duabus partibus quartæ partis prædictorum feudorum, & ipsum Franciſchinum recipiētem pro se, & suis filijs masculis, & hæredibus, & legitimis tantum ab eo descendentibus de tertia parte prædictæ quartæ partis prædictorum feudorum, ita quod per hanc sententiam, seu pronunciationem, & inuestituram non intelligatur aliquod innouatum de feudo Rocchæ Sanctę Mariæ . . . . & iurisdictionis ipsius Rocchæ in præiudicium ipsius Domini Lanfranchini, & præcepit vtrique parti scilicet prædicto Domino Lanfranchino, & prędicto Franciſchino, præsente Domino Iacobino eius curatore, & suam auctoritatem præstante, & consentiente, quod prædictam sententiam, & pronunciationem, & inuestituram debeant sibi ad inuicem ratam, & firmam habere, & tenere, & in vllo contrafacere, vel venire sub amissione suæ partis feudi prædicti, & sub obligatione omnium bonorum suorum præsentium, & futurorum, quod ad dictum Dominum Episcopum, & Episcopatum deueniat in pręsenti Et ego Beumatus de Pulisma Notarius Domini Episcopi supradicti scripsi, & præsens fui, & rogatus fui iussu ipsius.

Idem Episcopus confirmauit institutiones plurium Hospitalium Diœcesis Mutinensis, videlicet de anno 1292. confirmauit institutionem Hospitalis Castri Solariæ, & de anno 1295. confirmauit institutionem Hospitalis Terræ Finalis, & de anno 1297. approbauit institutionem Hospitalis de Montexio, & de anno 1298. confirmauit institutionem Hospitalis Castri sancti Felicis, & de eodem anno approbauit institutionem Hospitalis in loco, vbi dicitur Via noua, qua itur Carpum, & tandem de anno 1302. approbauit institutionem Hospitalis de Aquareto. Hoc sedente Episcopo floruit Nicolaus de Mattarellis Mutinensis Iurisconsultus celeberrimus, cuius scripta in iure ciuili magno non solum famæ ipsius, & nostræ Ciuitatis detrimento, sed etiam graui omnium studiosorum iactura deperdita sunt; licet aliqui aſſerant, nescio qua ratione ducti, scripta ipsa in Ciuitate Lucæ aſſeruari. Hic egregius Doctor hisce temporibus, dum Patauij publice iura ciuilia interpretaretur, vocatus à Ciuibus suis ad reformandum Ciuitatis statum, quæ se in libertatem vindicauerat, Mutinam venit, vbi statum ipsius Reipublicæ vna cum alijs ad id deputatis optime reformauit. Et cum de anno 1309. Rainaldus Rauennæ Archiepiscopus ex præcepto Clementis Pontificis Bononiæ habuerit conuentum plurium Episcoporum, ibiq; habita fuerit diligens quæstio de militibus templarijs inter ipsos Episcopos, verisimiliter interfuit Iacobus tunc Mutinæ Episcopus, tamquam suffraganeus, & vicinus, sicut etiam de anno 1311. potuit adeſſe alteri conuentui Rauennæ habito su-

per probris eorumdem militum, & de eodem anno potuit adeße Vienæ Concilio habito per ipsum Clementem, in quo prorsus abrogauit ordinem dictorum templariorum. qui Clemens de anno 1306. transferendo Sedem Apostolicam ex Italia in Galliam, & Roma Auenionem ingentem exhibuit materiam turbationi Ecclesiarum, & Ciuitatum Italiæ, id enim magna omnium murmuratione factum est, & multæ Ciuitates varios miscere tumultus, diuersasq; excitare turbas cœperunt. Hic Episcopus rectè, & sanctè administrata Ecclesia moriens succeßorem habuit Bonadamum Episcopum, de quo infra, &c.

BONADAMVS.

1311 *Onadamus ex familia de Boschettis, cum eßet maioris Ecclesię Mutinensis Canonicus ab Azone Attestino, qui Opizoni succeßerat anno 1304. quamquam Innocens vna cum Symone Boschetto eiusdem Ecclesię Canonico carceratus, quod Boschettos omnes propter pacem cum Sauignanis hostibus initam suspectos haberet, Ferrariæ multis cum aliјs ex eadem causa detentis diù fuit in vinculis, quam præcipuè ob rem indignati pleriq; nobiles conspiratione facta Azonem ipsum biennio post septimo Cal. Februarij ab Vrbis dominatu eiecerunt, capto etiam Frisco filio, qui cum Bonadamo, & aliјs Ferrariæ custoditis commutatione facta dimißus exinde fuit. Renouatis itaq; Mutinæ cum ipsa libertate diris veterum factionum studijs, ac tota iterum tumultuãte Ciuitate, Bonadamus designatus Mutinensis Episcopus, & Princeps (in antiquis enim instrumentis hoc titulo dudum antè ab Henrico Quinto Imperatore Aegidio Episcopo Mutinæ attributo inscribitur) confestim per literas electionem suam Rainaldo Archiepiscopo Rauennati significauit, & ab eo petijt, vt quia Rauennam tuto accedere non poßet, quod sibi à multis valdè timeret, Mutinæ consecrationis munus suscipere sibi liceret, cui Rainaldus quarto nonas Augusti 1311. benignè annuit, & cum eßet Foroliuij scriptis literis ad Episcopos, quibus consecrationem commisit, testatus est ita sibi placere, eo quod inimicitias, ac simultates, ob quas Bonadamus timeret, satis notas haberet; & cum per eos dies Rainaldus Rauennæ Synodum Prouincialem habuisset, cui Bonadamus sacris nondum initiatus intereße non potuerat, ipse postmodum conuocato Mutinæ vniuerso Clero ad. iiij Id. proximi mensis Septembris, ibi Constitutiones Rauennæ editas publicauit. Inde rebus, vt opinor, compositis, ineunte hyeme Vienam Galiæ Narbonensis Ciuitatem contendit, vbi Clemens Quintus vna cum quatuor centum Episcopis Concilium generale celebrauit.*

lebrauit. in quo inter alia nouas Constitutiones, quibus nunc vtimur, suo nomi-
ne Clementinas appellatas promulgauit, & Festum sanctissimi Corporis Chri
sti post Pentecosten, eo, quo adhuc vsitatur, die sacris additis indulgentijs cele-
brari voluit. Inde Bonadamus Mutinam reuersus, dum quieti, & Ecclesię suæ
administrationi incumbit, à Gibellinis, qui Rangonos, & Boschettos cum reli-
quis Guelfis Mutina expulerant, omnia præter ius, ac fas arbitrio suo moderan
tibus circa finem anni 1311. abire compellitur. Quare anno insequenti Muti-
nenses à Clemente Pontifice diris damnati, ac etiam iure Ciuitatis priuati di-
cuntur, & ea occasione ampliatam Episcopi Regiensis dictionem fuisse, multis
Mutinensium locis illius Diœcesi adiectis scribit Pancirolus, qui etiam aliam
damnationis, ac priuationis causam refert, videlicet, quod Mutinenses auctore
Francisco Menaboue populi, vt vocabat, Capitaneo trucidaßent Raimundum
Aspelli Pontificis nepotem Mutina transeuntem, intercepta, quam ad Ponti-
fi
cem deferebat, ducentorum millium aureorum pecunia. Cæterum post hæc Pas-
sarino, & Bottirone Bonacossis Cæsaris nomine Vrbem gubernantibus, Bona-
damus patriæ, ac dignitati restitutus anno 1314. vitam deseruit. Quare lon-
gè, lateq; fallitur Sansouinus, qui dictum Bonadamum die 28. Ianuarij 1318.
decessisse scribit, nam ex actis publicis constat, quod de anno 1314. cum Muti-
nensis Ecclesia vacaret, indictumq; esset Concilium Prouinciale sub Rainaldo
Archiepiscopo in Ecclesia sancti Nicolai Terræ Argentæ, & Sedes Episcopa
lis vacaret, quarto Cal. Februarij Mutinæ conuenere Bonincontrus Archipræ
sbyter, Iacobus Saracenus, & Barnabas Boschettus Canonici, quia plures tunc
temporis non residebant, & Episcopalis Aulę, Choriq; nomine Vidonem Recto
rem Templi Sancti Pancratij è Fredo Diœcesis Mutinensis eorum Procurato-
rem, Vicariumque fecerunt ad ea accipienda, quæ in eadem Prouinciali Syno-
do decernerentur, &c.

BONINCONTRVS.

1315 Defuncto Bonadamo successit Bonincontrus Florani, quod est Op
pidum in collibus Mutinæ imminentibus amęnissimum, natus;
Ecclesiæ maioris Mutinæ fuit prius Archipresbyter, & ob sin
gularem in iure Pontificio scientiam pro Rainaldo Archiepi-
scopo Rauennæ aliquando Vicarium egit, deinde Synodo ab eo
dem anno 1315. coactæ pro Capitulo, & Clero Mutinæ tunc
Pastore destituto interfuit. Defuncto postmodum Bonadamo Episcopo, & ob
mortem Clementis Quinti, durante viginti septem mensibus, ac septemde-
cim die-

cim diebus Pontificio interregno à Clero, & populo vetus institutum prosequente Ecclesiæ Mutinensi præficitur anno 1315. Sed vt per paucos dies Episcopatui præfuit, ita rebus gestis parum illustrem administrauit, perturbata ciuitate ob apertam Bonacoßorum tyrannidem, quæ non aliter, quam illis vi eiectis refrenari potuit; incommoda insuper vsus est valetudine, qua in primis anno 1317. Conuentui Episcoporum Prouincialium ab eodem Rainaldo Bononię habito adesse non potuit, se tamen propter infirmitatem canonicè excusauit, ac ordinandis, & statuendis in dicto concilio pro se, & suo Clero reuerenter consensit. Quapropter conuocato post festa Domini Natalitia vniuerso Clero in Palatio Episcopali die 29. Decembris per Floriamontem suas vices agentem legi, ac recipi mandauit quicquid in dicto concilio sancitum fuerat. Eodem tempore fratres Carmelitæ ad portam Salicetam sedem sibi constituere cupientes recepti fuerunt, emptis nonnullis domibus cuiusdam Anselmi penes dictam portam Salicetam, quorum Ecclesiam, & monasterium postea ex magna parte expensis familiæ de Zarlatis constructum fuiße semper audiui. Et cum iam fermè absolutum esset Turris Campanariæ apud Basilicam Fastigium, quod sub Alberto Boschetto Episcopo inchoatum fuerat, Bonincontrus morbo, & senio confectus extremum diem obijt quinto Cal. Februarij 1318. & in Basilica sepulchrum habuit, &c.

VIDO.

1318 MOrtuo Bonincontro electi fuerunt in discordia duo Episcopi Mutinæ videlicet Matthęus de Gorzano Prior Ecclesiæ sancti Iacobi de Columbario, & Vido de Guiscis, qui Vido electus statim notificauit electionem de se factam præfato Matthæo similiter electo, vt desisteret, qui Vido, vt apparet ex actis, & tabulis Archiuij Mutinæ, apprehendit poßessionem Episcopatus, ipsumq; administrauit, excluso dicto Mattheo; fuit hic vir magnus Iurisconsultus, vt colligitur ex Ioanne Andrea, qui multas quæstiones ab eo disputatas refert in c. qui tacet, & in c. sciente, & in c. nō decet, & alibi sæpe de reg. Iur. in 6. & fuit nepos Archidiaconi Bononiensis Doctoris eximij, hic habuit Synodum Dioecesanam, in qua multa decreta Ecclesiæ Mutinensi vtilia fecit, quę Synodus manu scripta adhuc reperitur, & fuit celebrata die quinta, & sexta Maij. 1320. Idem Episcopus de anno 1334. cum eßet Bononiæ fecit Constitutionem quandam declaratiuam alterius suę constitutionis in Synodo superiori publicatę sub rubrica de fide instrumentorum, quam transmisit capitulo, &

vniuerso

vniuerso Clero Mutinensi, quæ iussu ipsius Episcopi per venerandum, & religiosum virum Dominum fratrem Ioannem Priorem monasterij Sanctæ Trinitatis in suburbijs Mutinæ Vicarium generalem publicata fuit. Et cum de anno 1329. ageretur in eos, qui stetißent à Ludouico Bauaro Imperatore ob impietatem sacris interdicto, Vido Episcopus Mutinensis cum alijs quæsitoribus hęreticorum, duodecimo Cal. Augusti renunciarunt Mutinenses aliquot sacratos viros, & Canonicum quendam Regiensem Bauaro adhæsiße, cuius etiam fautores duo potissimum fuere, videlicet Orlandinus, qui se Mutinensem, & N. qui se Neuariensem Episcopos appellabant, vt auctor est Rubeus in historia Rauennati; & per eadem tempora quidam Pirtanus de Gorzano de Mutina excommunicatus, vt fautor Bauari, fuit absolutus per fratrem Aegidium de Florebellis hęreticæ prauitatis tunc Inquisitorem. Sub hoc Episcopo compillatus fuit liber Censualis minor Episcopatus conscriptus per Alexandrum de Benasatis tunc Notarium Episcopalis Curię, & instante eodem Episcopo Capitaneus ciuitatis, & populi Mutinensis concessit ciuibus Mutinensibus, quod quilibet eorum possit ad libitum instituere beneficium in Cathedrali Mutinæ, & illud de bonis suis dotare, non obstante statuto Mutinæ. Et de anno 1328. ad requisitionem eiusdem Episcopi Ioannes Vigesimus secundus Pontifex Maximus vniuit, & incorporauit Parochialem Ecclesiam sancti Pancratij de fredo mensæ Episcopali Mutinæ, literæ datæ sunt Auinione anno sui Pontificatus duodecimo, quæ vnio postmodū confirmata fuit per Benedictum Duodecimum Pontificem Maximum. Sub hoc Episcopo factum fuit dormitorium monasterij fratrum minorum sancti Francisci de Mutina per fratrem Thomam Frinianensem eiusdem ordinis Generalem, qui postea fuit creatus Patriarcha Gradensis, & demum sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalis, Sunt qui suspicantur hunc fratrem Thomam Generalem dicti Ordinis, & postea Cardinalem fuisse illum, cuius meminit Fellinus in c. cum dilecta numero nono de rescriptis, quem refert Tiraquellus de Iu. primogen. quest. 19. nu. 6. qui dicunt Vrbanum Pontificem petijsse à fratribus dicti Ordinis, vt sibi darent tres viros insignes suæ Religionis, quorum vnum volebat creare Cardinalem, qui fratres dubitantes, ne primus nominatus ab eis tanquam dignior crearetur Cardinalis, præiudiciumque propterea alijs duobus pareretur, fecerunt quendam circulum, in quo scripserunt nomina trium nominatorum, & non apparebat, quis eorum eßet primo nominatus, prædictumque circulum exhibuerunt Vrbano, qui videns dictorum fratrum astutiam eis dixit, vos peruertistis ordinem, & ego pariter peruertam; exclusisq; tribus nominatis in circulo creauit Cardinalem Generalem dicti ordinis, quem volunt fuisse istum Thomam, sed iudicio meo falluntur, quia tempora non concordant, nec aliquis Vrbanus reperitur his temporibus Ponti-

fex Maximus, credo potius fuiße Marcum Viterbiensem Franciscani Ordinis generalem Præfectum, qui fuit creatus Cardinalis ab Vrbano Quinto de anno 1364. Sub hoc Episcopo de anno 1333. die vigesima quinta februarij per quendam Franciscum de Hospitali ciuem Mutinensem, clericum Balastariorum Domini Regis Francorum, vna cũ alijs quatuor socijs, fundatum fuit Collegium Parisijs, appellatum de Charitate Beatæ Mariæ, situm in monte Sancti Hilarij dictæ Ciuitatis, descendendo ab Ecclesia prædicti Sancti Hilarij ad Ecclesiam fratrum Carmelitarum, in quo Collegio recipi debent pauperes Italiæ scholares, videlicet quatuor Florentini, tres Mutinenses, tres Pistorienses, & vnus Placentinus, oportet autem ipsos scholares esse clericos, & de legitimo matrimonio natos, vt apparet ex documento Typis excusso inter prouisiones Communis Mutinæ registrato, & dum ego de anno 1599. eßem Nuncius Apostolicus apud Henricum Quartum Regem Christianissimum exactam adhibui diligentiam, vt huius Collegij statum recognoscerem, accersiui Rectorem ipsius, & percepi ab eo ex malo regimine prçceßorum Rectorum dictum Collegium fermè ad nihilum redactum eße propter multa debita contracta ab illis, fructusq; dicti Colltgij non sufficere ad satisfaciendum censibus, qui soluuntur pro interusurijs dictorum debitorum, quæ ascendunt ad summam plusquam trium millium aureorum, pro quibus grauia soluuntnr interusuria, fructus verò dicti Collegij, qui consistunt in pensionibus quarundam domorum, absorbentur ferè omnes à dictis interusurijs, & fabrica dicti Collegij, & ipsarum domorum magna eget reparatione, quia omnia ferè minantur ruinam; hoc mihi retulit dictus Rector, ego autem non acquieui relationi ipsius, volui videre locum, & perlustrare domos, dubitans, nè fortè ille Rector, qui solus est in dicto Collegio, hoc diceret, nè illi adiungerentur scholares, & omnia inueni eße vera, quæ Rector ipse retulerat. Sub hoc Episcopo 1322. finitum fuit fastigium pyramidale additum Turri Campanariç Ecclesiæ maioris, vt in annalibus Mutinensibus traditur, ac fidem facit inscriptio quçdam, quæ est insculpta suggesto Basilicç, vnde sacrç ad populũ cõciones haberi solẽt, ea vero, vt reliquæ illius sçculi, prorsus inculta ipsius suggesti, ac Turris perfectũ opus his versibus designat.

Annis progresi de sacra Virgine Christi.
Vndenis geminis, & iunctis mille trecentis.
Hoc Thomaxinus de ferro planta Ioannis.
Massarius Sancti venerandi Geminiani.
Fingi fecit opus, Turrim quoq; fine nitere
Artibus Henrici sculptoris Carionensis.

Idem

Idem Episcopus vti Compromißarius electus per sorores Monasterij sancti Geminiani iuxta pontem de Rosta extra circam Burgi Baioariæ elegit sororem Betham de Scorcelexio in Priorißam dicti Monasterij, & per eadem tempora Procurator, & Sindicus Eremitarum Eremitorij iuxtà dictum pontem de Rosta extrà Burgum Baioariæ comparuerunt coram prædicto Domino Vidone Episcopo, & petierunt dictum locum in Monasterium erigi cum dedicatione suorum bonorum, & quod possint in sorores, vel conuersas recipere, & sibi Prælatam eligere, eisque Regulam, ad quam profitendam se offerunt, confirmare, offerentes omnes terras, & possessiones, quas habent, eidem Monasterio erigendo. Hic Episcopus administrata per plures annos Ecclesia Mutinensi, tandem ab illa translatus fuit ad Ecclesiam Concordiensem.

BONIFACIVS.

1336 *Vidoni successit Bonifacius, qui fecit electionem Abbatißæ in monasterio S. Cæciliæ in Suburbijs Mutinæ. Moniales isti us monasterij appellabantur Sanctutiæ, & erant Ordinis sancti Benedicti, quæ postea extinctæ fuerunt, & Monasterium peruenit ad Monachos eiusdem Ordinis, & postmodum ad Fratres Franciscanos, vt supra diximus; hic Episcopus de anno 1337. aberat ab Ecclesia sua, & erat in remotis partibus, habebatque Vicarium Mutinæ Andream sancti Terentiani Tudertinæ Diœcesis, & de Anno 1341. diem suum clausit extremum, & nihil illustre in Ecclesia gessit, quod sciatur; per eius mortem vacauit sedes Episcopalis per totum annum 1342. & 1343. sub hoc Episcopo de anno 1338. facto eo fornice, à quo sacrarium Canonicorum sustinetur, Turris campanaria coniuncta fuit Basilicæ, eiectique inde fuerunt cerdones veteramentarij, qui locum occupabant, vt ex Annalibus Mutinensibus habetur, & dum Sedes Episcopalis vacaret, de anno 1342. appositæ fuerunt crates ferreæ ante ipsum altare Sancti Geminiani, vt ascripta ibi memoria adhuc demonstrat. Sub hoc Episcopo de anno 1342. aliqui volunt additam fuisse tertiam campanam Turri Ecclesiæ maioris, licet alij affirment id factum fuiße de anno 1348. sub Episcopo sequenti.*

FRATER ALEMANVS.

1344 *Post Bonifacium administrationem Ecclesiæ Mutinensis occepit Frater Alemanus Patria Florentinus familiæ de Donatis; idem Episcopus auctoritatem suam interposuit fundationibus aliquorum beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis, vt in libro dictarum fundationum apparet, Et de anno 1347. vniuit Clericatum videlicet Ecclesiæ sanctæ Agathæ Parochiali Ecclesiæ sancti Ioannis Euangelistæ Terræ Spezzani, vt constat ex tabulis confectis de dicto anno die quinta Aprilis per Franciscum de Aspectatis Notariũ tunc Episcopalis Curiæ Mutinæ, & cum vixisset vsque ad annum 1352; tandem senio confectus vitam cum morte commutauit. Hic de anno 1343. inuestiuit Nobiles de Balugola de feudo Rocchę sanctæ Mariæ, & de anno sequenti eosdem inuestiuit de palafreno, quem equitare solet Episcopus, cum primum ingreditur Ciuitatem, documenta dictarũ inuestiturarum sunt apud Dominum Aliprandum Balugolam, quæ ego vidi, & legi, &c.*

ALDOBRANDINVS.

1359 *Aldobrandinus filius Marchionis Rainaldi Tertij ex nobilissima Estensium familia translatus fuit ab Ecclesia Adriensi ad Mutinensem; fuit vir, vt ait Pigna, Ecclesiasticæ vitæ deditus, & pluries fuit excommunicatus ob non solutionē procurationum debitarum Legatis Apostolicis, & Magistratibus Ecclesiæ, quia, vt testis est Rubeus, illis diebus à Magistratibus inclementer exigebantur intollerabilia tributa, ita vt multi tumultus, & rebelliones inde secutæ fuerint, vt apud eumdem videre est. Hic Episcopus fecit tabernaculũ illud in Ecclesia Cathedrali, vbi repositum est caput sancti Taratij. Innocentius Sextus summus Pontifex committit Episcopo Bononiensi, Florentino, & Regino, vt faciant restitui Aldobrandino Episcopo Mutinensi Castra, Villas, & alia bona, ac fructus dicti Episcopatus occupatos per quoscunque Ecclesiasticos, vel seculares, & eum defendant ab omnibus molestijs, iniurijs, & dãnis tam illatis, quam inferendis; Et de anno 1363. Almericus Episcopus Bononiensis scribit Episcopo Mutinensi se recepisse literas Vrbani Papę Quinti continentes processum habitum contra nobilem virum Bernabouum de Vicecomitibus*

mitibus militem Mediolanensem super hæresi, & multis alijs facinoribus per eum patratis, citans eum ad comparendum in Curia Romana; & Guido de Baisio Canonicus Mutinensis causarum Palatij Auditor, sedis Apostolicæ Nuncius confitetur se recepisse ab Aldobrandino Episcopo Mutinensi florenos, siue ducatos viginti sibi debitos pro quinque diebus suæ Legationis. De *Anno* 1364. *hoc sedente Episcopo Illustris Dominus Amadeus olim Comes Sabaudiæ, & Dominus Glabasię, & Augustæ Marchio, & in Italia Princeps obtulit lampadem argenteam Ecclesiæ Cathedrali pro illuminatione imaginis Beatæ Mariæ Virginis de Columna, & obtulit petiam terræ bubulcarum vndecim positam in Burgo Albareti in Suburbijs Mutinæ pro expensa dictæ illuminationis; tabulæ donationis fuerunt confectæ per Bartholomæum de Tauellis Notarium Mutinensem die tertio Ianuarij Indictione duodecima* 1364. *Per eadem tempora aiunt translatum fuisse corpus B. Flandrinæ è Burgo Saliceti ad Ecclesiam B. Marię Magdalenę tunc temporis ædificatam, quæ Ecclesia erat contigua illis domibus, vbi nunc est Monasterium Fratrum Carmelitarum, qui locum, vbi erat Ecclesia, possident, sed huius sanctæ nullum inuenire testimonium potui, illius mentio tantum fit in quodam Chronico rerum Mutinensium, quod circunfertur sine nomine. Et eodem tempore pro cuiusdam Filesij voto, & ære supra fornicem portæ maioris forum respicientis posita fuit ænea Diui Geminiani statua, quæ adhuc ibi manet; hoc eodem sedente Episcopo quarta campana addita fuit Turri Campanariæ maioris Ecclesiæ, videlicet de anno* 1360. *Hic Episcopus postmodum fuit translatus ab Ecclesia Mutinensi ad Ferrariensem, vt apparet ex quodam documento existente apud Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ. obijt Ferrariæ, vt testatur Ioannes Baptista Pigna, ibiq; fuit sepultus, &c.*

VIDO.

1380 *POst Aldobrandinum onus Episcopale suscepit Vido, quem volunt aliqui illum esse Vidonem de Baisio Canonicum Mutinensem, qui erat causarum Palatij Auditor, & Nuncius Sedis Apostolicæ, qui confessus fuit se recepisse ab Aldobrandino Episcopo superiori procurationem sibi debitam vigore legationis suæ, sed nihil certi de hoc afferri potest, constat certè ipsum Vidonem de anno* 1380. *precepisse, quod authenticaretur instrumentum dotationis Sacristiæ Ecclesiæ Cathedralis factæ per fœl. record. Henricum Episcopum de anno* 1372. *cui postmodum etiam vniuit beneficium simplex sicut etiã*

vniuit Ecclesiam de Clagnano cum Ecclesia de Benedellio, & Ecclesiam Sanctorum Cosmæ, & Damiani adiunxit monasterio prędicatricum, quod monasterium erat in suburbijs Mutinæ, & etiam vniuit Ecclesiam sancti Laurentij de Rico cum Ecclesia de Cosconio. Sub hoc Episcopo erat Canonicus Ecclesię Mutinensis quidam Opizo Estensis; & de anno 1382. tempore huius Episcopi Canonici Ecclesiæ Cathedralis concesserant Ecclesiam sancti Saluatoris Mutinæ fratribus sanctæ Mariæ seruorum, reseruato quodam censu, & adsunt literę Nicolai Marchionis Estensis ad Capitulum Mutinæ hac de causa scriptæ; adest etiam mandatum factum per generalem Præfectum dicti ordinis cuidam fratri Petro ad capiendam dictæ Ecclesiæ possessionem, quæ tunc vacabat per obitum Domini Iacobi de Sillingardis illius vltimi Rectoris, quæ Ecclesia habebat Hospitale annexum. Quare fallitur frater Michael Florentinus in Chronico rerũ dicti Ordinis, dum asserit hanc concessionem fuisse factam de anno 1388. quæ Ecclesia sancti Saluatoris cum sacrario, ac Turri Campanaria, & Monasterio contiguo repentino incendio nocte diem 24. Augusti 1534. sequente conflagrauit, vt constat ex annalibus Mutinensibus. hic Episcopus administrata per biennium Ecclesia defunctus est.

DIONYSIVS.

1384 Sidoni in Episcopatu successit Dionysius ciuis Mutinæ honestæ familię de Restanis, fuit sacrę paginæ professor eximius, & ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini professus, & in ingressu administrationis sui Episcopatus recepit à capitulo Mutinæ charitatiuum subsidium; vniuit Ecclesiam sancti Georgij de Cadignano Ecclesiæ sanctorum Hippoliti, & Cassiniani de Ligurzano, reseruato sibi censu vnius librę cerę; interposuit auctoritatem suam fundationibus plurium beneficiorum in Ecclesia Cathedrali, vt in documentis dictarum fundationum apparet, & tunc temporis erat consuetudo, & statutum in Ecclesia optandi prębendas vacantes, & eisdem temporibus Prępositus Ecclesię præcedebat Archipręsbyterum, vt apparet in omnibus documentis tunc temporis confectis; Et cum de Anno 1399. quædam Confraternitas appellata La Compagnia de Bianchi ex partibus Hispaniæ venisset Ferrariam, Deo orationes fundens, & iram ipsius Dei placare procurans, Nicolaus tunc Marchio Estensis vna cum vxore dictos Confratres comiter recepit, & cum Ferraria Romam versus iter haberent, prædicti Marchio, & vxor ipsos Confratres associauerunt extra ciuitatem, vsque ad prata loci

detto

detto Belfiore, ibique Episcopus Mutinensis insignem concionem habuit, vt auctor est Pigna; Sigonius autem in libro de vitis Episcoporum Bononiensium in vita Bartholomęi Raymundi ait hanc Confraternitatem non in Hispaniis, sed in Gallia Narbonensi ortum habuiße, quidam enim Sacerdos illarum partium Beatam Virginem sibi apparuiße aßerit, ac maximam mundo cladem nunciasse, nisi peccatorum pœnitentia ira Dei placaretur; quare ille albo indutus amictu peregrinationem suscepit, vbi tantum formidinis, ac religionis hominibus incussit, vt plerique ad pœnitentiam se conuerterint, cum ipsoque peregrinationem susceperint; & ex his sexto nonas Septembris ait Episcopũ Mutinensem à Regiensibus inflamatum cum vniuerso omnis ętatis, sexusq; populo vestibus albis induto, & sub vexillis suis instructo (ad viginti quinque millia fuiße feruntur) Bononiam versus iter instituiße, vbi verò ad pontem Rheni peruenit, aris sub eo duabus erectis rem diuinam fecisse, ac populo Bononiensi, qui frequens accurrerat, rationem, atque initium nouę huiusmodi religionis exposuiße, ac postridie domum repetiiße; dicitque se hanc generalem deuotionem, quæ tunc per totam exercebatur Italiam, descripsisse ex Chronicis Mutinensibus, Bononiensibus, Genuensibus, & aliarum Ciuitatum. Et inter claros Ecclesię Mutinensis post sanctum Geminianum Antistites mirum in modum refulsit Dionysius iste in ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini, vt diximus, religionem antea professus, quem eximię pietatis virum fuiße ferunt, Episcopatumque post quartum, aut quintum illius adeptę dignitatis annum deposuisse aßerunt, cuius tamen rei nullum inuenio certũ testimoniũ. Obijt sub anno salutis 1400. in magna sanctitatis opinione; eius depicta imago tanquam illius ordinis Beati in Aede Sancti Augustini Mutinensis sub contignatione supra organum musicum visitur; in hac eadem Religione floruit Ioannes Mutinensis, qui eiusdem instituti Sodalis fuit, quem inter alios eiusdem ordinis Beatos in præfata Aede, quasi è regione Beati Dionysii depictum videmus signum salutiferę crucis manu tenentem, feretrumque, quo defuncti efferuntur, à latere habentem; argumentũ eorum, in quibus tota illius vitæ, ac mentis exercitatio versaretur, nempe in meditatione passionis Christi, & mortis proprię. Sacræ huius reliquiæ ferè neglectæ parua quadam arca lignea conclusæ intra clatratam muri fenestram Aedem porta Orientali ingredientibus à lęua ostenduntur, & in eadem arca ipsius Beati in feretro iacentis effigies conspicitur.

PE-

PETRVS.

1400 *DIonysius successorem habuit Petrum ciuem Ferrariensem ex honesta familia de Boiardis, qui electus Mutinensis Episcopus, volens de proximo consecrationis munus accipere, & missæ sacrum solemniter celebrare, petijt à Capitulo, & Canonicis, vt gratiose sibi concedere vellint oblationes omnes, quæ illi fient tempore consecrationis prædictæ, & missæ nouæ, & hoc pro subsidio expensarum, quæ fient occasione dictæ consecrationis, & missæ; quam gratiam eidem concessit Capitulum; & notandum est, quod dictę oblationes spectabant ad Canonicos vigore priuilegij eisdem concessi per Lucium summum Pontificem, quod est registratum apud Canonicos, & literæ Lucij datę sunt Anagni secundo Cal. Martij. Idem Petrus de eodem anno 1400. scripsit literas Priori, & sororibus sanctæ Catherinę in suburbijs Mutinæ, vt debeant obedire Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ, cui sunt subiecti. Huius Episcopi meminit Angelus in Consilio 274; & post biennium ipse Petrus ab Ecclesia Mutinensi translatus fuit ad Ferrariensem, vt apparet ex quodam documento tabularij Mutinensis, in quo de anno 1431. asseritur dictum Petrum de Boiardis Episcopum Ferrariensem promouisse ad primam tonsuram quendam Nicolaum; qua translatione facta habuit successorem Nicolaum etiam de Boiardis, de quo infra, &c.*

NICOLAVS.

1403 *POst Petrum successit Nicolaus etiam de Boiardis, qui de anno 1403. fecit vnionem beneficij Bartholomęi de Boschettis mensæ Capitulari, & de eodem anno fecit quasdam Constitutiones pro reformatione Capituli, & Canonicorũ, & de anno 1407. habebat Vicarium Dominicum de sancto Geminiano, vt ipsemet Dominicus Doctor insignis asserit in quodam sermone post sua Consilia registrato; & huius Episcopi tempore quidam Frater Geminianus de Secchesanis procurator Episcopi Leonensis, & electi Rectoris, & Administratoris Ecclesiæ sancti Iacobi Ciuitatis Mutinæ petijt etiam ipse à Capitulo, vt oblationes in sua consecratione de proximo facienda, & missę nouæ celebratione sint suæ, quod gratiose ei concessum fuit a Capitulo. Hic Episcopus auctoritatem*

suam

suam interposuit fundationibus plurium beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis, fecitq; aliquos contractus de bonis eiusdem Ecclesię, & tandem vocante Domino de anno 1414. vitam cum morte commutauit, sepultus in Ecclesia Cathedrali.

CAROLVS.

1415 *Post Nicolaum successit Carolus etiam de Boiardis Ferrariensis, qui vsus est opera Gasparis de Rangonis pro Vicario, & fecit compositionem cum societate sancti Erasmi, quæ se subiecit ipsi Reuerendissimo Domino Carolo de Boiardis Episcopo Mutinensi, & pro censu soluit libram vnam ceræ, quæ societas instituta fuit de anno 1423. in die Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi in Ecclesia sancti Francisci Mutinæ; huius Episcopi tempore Eugenius quartus Pontifex Maximus committit Abbati Sancti Petri de Mutina, vt extinguat monasterium monialium prędicatricum Ordinis sancti Augustini in suburbijs Mutinę, & Ecclesiam, domosq; concedat Episcopo Mutinensi. Idem Pontifex mandauit officium diuinum, horasq; Canonicas secundum vsum Romanum in Ecclesia Mutinensi per Episcopum, Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, & Clericos celebrari debere. Idem Episcopus, teste Sigonio, vna cum Imolensi Episcopo iussu Martini quinti Pontificis Maximi receperunt à Nicolao Albergato Episcopo Bononiensi iuramentum ab Episcopis in eorum creatione præstari solitum: & hoc sedente Episcopo Thomas Petrezzanus ciuis Mutinensis fecit suum Testamentum, & instituit Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ sancti Geminiani hęredes suos, hac tamen conditione, vt fructus bonorum immobilium in hæreditate relictorum distribuantur inter præsbyteros in dicta Ecclesia residentiam facientes, & qui diuinis officijs die, noctuq; interfuerint in dicta Ecclesia. Testamentum fuit rogatum per Octauianum de Tosabecchis Notarium Mutinensem de anno 1423. hoc eodem anno instituta fuit societas Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ. In sequenti vero anno monasterium Sanctæ Cæciliæ in suburbijs Mutinæ, quod erat monacharum Virginum, quæ dicebantur Sanctutiæ, cum ad desolationem tenderet, eo quod sola Abbatißa in eo monasterio reperiretur, nec alia monialis inueniretur, quæ ibidem ingredi vellet, à Carolo Episcopo, & eius Vicario, id etiam petente Nicolao Marchione Estensi, fuit vnitum vna cum bonis eiusdem (reseruatis tantum quibusdam bonis pro victu dictæ Abbatißę) monasterio monachorum Sancti Petri Mutinæ, quæ vnio postmodum de eodem anno 1424. fuit confirmata per Ludouicum*

Archie-

Archiepiscopum Atrebattensem pro Sācta sede Apostolica Bononię, & Exarchatus Rauennæ Gubernatorem generalem, quæ vnio deinceps cum per Thomam de Trighionis de Pontremulo Episcopum Brugnatensem eiusdem Caroli Episcopi Vicarium generalem fuisset reuocata, & declarata nulla per sententiam, cumq; pro parte dictorum monachorum ab ipsa sententia fuisset appellatum, & de nullitate dictum, tandem partes ipse de anno 1428. venerunt ad hanc transactionem, vt omnia bona mobilia, & immobilia, quæ dicti monasterij Sanctæ Cęciliæ fuerant, ad ipsos monachos Sancti Petri pertinerent, ædificium vero eiusdem monasterij cum horto esset, & pertineret ad Episcopum. Hæc omnia constant ex diuersis documentis apud monachos prædictos existentibus, quæ vidi, & legi, sicut etiam per literas Eugenij quarti datas Ferrariæ de anno 1438. apud eosdem monachos existentes patet, quod cum fratres sancti Francisci de Obseruantia appellati, forsitan id permittente Episcopo, cuius erat monasterium Sanctæ Cæciliæ, ingressi fuissent possessionem eiusdem monasterij, & Ecclesiæ, ibidemq; Domino deseruirent, timentes dicti monaci, ne per dictam possessionem aliquod sibi præiudicium gigneretur in bonis, de quibus in transactione prædicta, petierunt ab ipso Papa Eugenio confirmationem dictæ vnionis, & bonorum, non obstante possessione dictæ Ecclesiæ, & monasterij per ipsos fratres minores de Obseruantia acceptæ, quam gratiose obtinuerunt; quid vero de hoc monasterio Sanctæ Cæciliæ factum fuerit, dicetur infra in vita Ioanuis Moroni Episcopi. His temporibus floruit Bernardinus Senensis ordinis fratrum minorum, qui videns dicti ordinis fratres ab antiqua Sancti Francisci seueritate sensim recessisse, ad veterem disciplinam reuocandam, atque obseruandam incumbebat, is sordido corporis amictu, squalida facie assiduis ieiunijs contracta asperitatem, & rigiditatem vndique spirabat, ita vt qui eum cernerent, Beatum Francicum, cuius se imitatorem profitebatur, se videre putarent; hic Mutinam aduenit, & in foro more suo concionabatur, & cum cætera populi vitia reprehenderet, tum maxime aleæ ludum increpabat; postremo hic Episcopus pluribus laboribus pro Ecclesia perfunctus, tandem de anno 1431. defunctus est, &c.

∴

Scipio

SCIPIO.

1433 POst Carolum in Episcopatu Mutinensi successit Scipio de Manentis ciuis Ferrariensis, qui vna cum consilio Canonicorum Ecclesię Cathedralis de nouo erexit in Ecclesia dignitatem magistri scholarum, quæ etiam prius fuerat in dicta Ecclesia, cuius habetur mentio in diuersis locis ab anno 1106. vsque ad annum 1286. Hunc Episcopum dicunt subscripsiße actis Concilij Florentini. Huius Episcopi tempore, videlicet de anno 1434. cum in monasterio sancti Petri Mutinæ defeciβet, & frequentia monachorum, & veteris instituti disciplina, Eugenius Quartus Pontifex Maximus illud monasterium tenendum, ac regendum concessit Congregationi monachorum sanctæ Iustinæ de Padua, quæ tunc monasticę vitæ regulam reformauerat, accedente consensu Nicolai Rangoni Archipresbyteri de Carperio Ferrariensis Diœcesis, qui illud sibi commendatum possidebat, vt apparet in literis Apostolicis eiusdem Eugenij Florentiæ datis anno salutis 1434. decimo quarto Cal. Decembris Pontificatus sui anno quarto, qui Episcopus cum vixißet vsque ad annum 1447. obijt, & succeßorem habuit Iacobum Antonium à Turre, de quo infra, &c.

IACOBVS ANTONIVS.

1447 SCipioni successit Iacobus Antonius à Turre loco ignobili in montibus Mutinensibus oriundus, qui licet obscuros habuerit natales, eos tamen eximio ingegnij, ac vitæ splendore illustrauit, nam ab Eugenio quarto, qui Florentiæ, post Concilium pro Grecæ, & latinæ Ecclesiæ reconciliatione celebratum contulerat anno 1442. Episcopatu Regiensi ornatus quinquennio tanta cum laude se gessit, vt Nicolaus quintus ad Pontificatum assumptus anno 1447. eum Scipioni Episcopo Mutinensi defuncto successorem dederit. Ferunt aliqui hunc non in loco Turris agri Mutinensis, sed in Terra Montagnanæ loco agri Patauini ortum fuiße, cognomenque illi fuisse à Turre, appellabaturque Comes, & Princeps, sed quicquid sit, constat certè ipsum fuisse virum acris ingenij, & Ecclesiam egregiè administrasse. & illud primum refertur, quod Amadeo Sabaudio à Concilio Basiliensi

dudum ante contra Eugenium sub Fœlicis Quinti nomine anno 1449. *abdicante, ob pacem, & quietem sublato dissidio Reipublicæ Christianæ restitutam, gratijs tota Italia Deo actis Mutinæ sacras ipse supplicationes habuerit, populo sub vexillis ad Deum laudandum præcedente, precesq; pro peste, quæ tunc Bononiæ latè grassabatur, auertēda impensius effundente. Nec multo post orta de finibus, agrorumq; & colonorum immunitate inter Regienses, & Gonzaghas Nuuolariæ, & Bagnoli Regulos controuersia, Iacobus Antonius ab veterem beneuolentiam à Regiensibus, & Galeatius Caprianus Mantuæ Antistes à Gonzagis arbitri electi Cal. octobris eiusdem anni* 1449. *terminos posuerunt prædijs ciuium Regiensium, Nuuolariæ atque Bagnoli ditione inclusis, immunitatem colonis, & libertatem ab omnibus operibus decreuerunt, & vt Gonzagis liceret cauare fossam per eadem Oppida in Padum absque vlla tamen tributorum exa tione, nauigabilem sanxerunt, vt constat ex laudo per eos lato Typis excusso, & memoriæ etiam prodidit Pancirolus in sua historia Regiensi; qui tamen fallitur, dum asserit Iacobum Antonium in Episcopatu Regiensi decessisse anno* 1447. *Insequenti magna Iubilei celebritate memorabili, Borsius Ferrariæ Marchio ob mortem Leonelli fratris Principatum Cal. Octobris iniens tumultus à Lucensibus in Carfignana excitatos Mutinensium, ac Regiensium armis vere proximo compressit, inde à Friderico Tertio Imperatore, quem bis Ferrariæ apparatu Regio exceperat splendidiore Ducis Mutinæ, ac Regij titulo decimoquinto Cal. Iunij anno* 1452. *donatus easdem Ciuitates magna pompa inuisit, ac Mutinam primo adijt. commitatum omnem præcedebant hastati equites galeis, & sagis versicoloribus ornati, tibicinibus magno concentu personantibus, inde aulicorum, & nobilium numerum multi ex Collegijs ciuium Iurisconsultorum, medicorumque, ac ordinis equestris viri augebant, hos magistratu aliquo, aut officijs illustres togati subsequebantur, demum Iulius Boiardus, Albertus Pius, Franciscus Picus, nobilissimiq; alij proceres conspiciebantur ante ipsum Borsium pileo, ac paludamento purpureo varijs pellibus consuto indutum, Falerato equo insidentem, Vincislaus Rangonus ensem, Antonius Corrigius sceptrum gestabant. Populus itaque in omnem hilaritatem effusus, Clerusq; cum Iacobo Antonio Antistite ritu sacro obuiam procedens cum binis curribus triumphalibus, quorum in vno Sancti Geminiani effigies, in altero quatuor virtutes forma, & vestibus conspicuæ repræsentabantur, aduenienti occurrerunt, receptumq, sub purpurea vmbella per vias pannis laneis opertas ad Basilicam deduxerunt, ibi cum ipsa gratiarum actione peracta est solennis benedictio, ac Borsius inde faustis populi acclamationibus exceptus in arcem diuertit. Vt autem nouæ dignitatis Ciuitati adiunctæ perpetuum extaret monumentum, in die Ascensionis Domini, quo tantum decus*

à Fride-

à Friderico datũ est, quotannis hastiludium publico decreto constitutum, victo riç præmio panni serici, villosi, coccinei proposito, ac statuam in foro Borsio erigi placuit. Per idem fermè tempus Nicolaus quintus à Præposito, & Canonicis rogatus Clericis Ecclesiæ Mutinensis indulsit, vt quisquis ad plura missæ sacrificia in qualibet hebdomada ex cuiusuis minoris beneficij institutione teneretur, aut officio matutino interesse deberet, satisfecisse intelligeretur, si semel celebraret, vel alter eius vice in diuinis inseruiret, quoniã ob tenues redditus singula beneficia ad victum non sufficerent, & emolumenta oneri non responderent; hanc dispensationem fecit Iacobus Antonius, tanquam Commissarius Apostolicus, vt ex scripturis apud Canonicos existentibus clarè constat; hic Episcopus erat Commendatarius monasterij, & Abbatiæ Sancti Bartholi Ordinis sancti Benedicti propè Ferrariam, & etiam erat Commendatarius Prioratus Sancti Romani eiusdem Ciuitatis, vt ex scripturis Baptistæ de Prignano constat, ex quibus etiam apparet, quod dictus Iacobus Antonius de Turre cum esset in Terra Finalis de anno 1451. ad instantiam, & supplicationem hominum Villæ Casumarij, qui probauerunt se, ac supradictam suam Villam nullatenus posse subijci Parochiali Ecclesiæ Sanctorum Iacobi, & Philippi dictæ Terræ Finalis, vt antea semper fuerant, tum propter distantiam trium millium passuum, tum propter inundantiam aquarum pluuialium, & Rheni tempore hyemis, & propterea multa se pati animarum incommoda; cum se, & vniuersum supradictum Commune obligassent in fundo tunc coram eodem Episcopo ad id per eos oblato, & donato Ecclesiam sub vocabulo sancti Laurentij ædificare, & dotare dote competenti alimentis vnius Rectoris animarum suarum curam gerentis arbitrio ipsius Domini Episcopi, vel eius successorum, atq; interim dum prædicta executioni demandentur, decimam constituere sacerdoti inibi degenti, ac suarum animarum curam habenti duorum stariorum frumenti, & vnius mastelli vini pro singulo laborerio vnius paris boum, & pro bracentis minæ vnius frumenti pro quolibet, quæ decima tunc cessare habeat, quando Ecclesia competenter arbitrio, vt supra fuerit dotata; qui Episcopus annuit petitioni ipsorum, eamq; admisit, reseruauitq; Iuspatronatus dictæ Ecclesiæ præfato Communi, ita tamen quod Ecclesia sic constructa intelligatur Capella subiecta Matrici Ecclesiæ Terræ Massæ. Sub hoc Episcopo per Iacobum Episcopũ Sebastensem fuit consecrata fratrum Prædicatorum Ecclesia de anno 1451. die 13. Septembris, præsente multo populo, & Clero, & hæc consecratio facta fuit ad honorem Dei, ac Beatæ Mariæ Virginis eius Matris, nec non Beatorũ Apostolorum Matthæi, ac Matthiæ, ac sanctissimi Patris Dominici, vt habetur in eodem templo super valuas Occidentales interius. Hic Episcopus habuit diuersos Suffraganeos, videlicet de anno 1454. Iacobum de Cadignano

Firmilianum Epiſcopum, qui de eodem anno habuit Mutinæ Clericorum ordinationes, & Benedictum de Douedris de cremona ſacræ Theologiæ profeſſorem Epiſcopum Tripulenſem, qui etiam Mutinæ habuit Clericorum ordinationes, vt ex ſcripturis dicti Baptiſtę de Prignano apparet. Hoc tempore videlicet de anno 1450. erat Abbas Abbatiæ Nonantulæ Dominus Guronus Maria Eſtenſis, qui ex ordine Pontificis conſtituit ſuum Commiſſarium, ſindicum, & procuratorem in prędicta Abbatia Iacobum Antonium Epiſcopum Mutinenſem, qui cum eſſet Ferrariæ in Epiſcopali Palatio in viridario dicti Epiſcopatus conſtituit Vicarium generalem in ſpiritualibus, & temporalibus eiuſdem Abbatiæ Dominum Minum Ioannem de Senis Iuris vtriuſque Doctorem, qui etiam erat Vicarius Mutinæ cum facultate viſitandi Abbatiam, Priorem, monachos, omneſque in ea degentes, ac alias Eccleſias, & monaſteria, & pia loca eidem Abbatiæ ſubiecta. Huius Epiſcopi tempore erat Præpoſitus Eccleſiæ Mutinenſis Franciſcus de Foliano ciuis Mutinæ, qui poſtea fuit creatus Epiſcopus Comaclenſis, & erat commendatarius Prioratus S. Petri de sala territorij sancti Felicis, & de anno 1469. idē Epiſcopus Comaclenſis conſecrauit Eccleſiam sancti Clementis de Cæſis à Geminiano Fontana ędificatam, Ordinario id permittente, qui Franciſcus Epiſcopus obijt circiter annum 1471. vt ex eiuſdem Baptiſtę ſcripturis hęc omnia conſtant. Annus inde 1455. optimorum virorum morte inſignis fuit, nam Mutinę obijt Andrea ſodalis Franciſcanus ſeptimo Cal. Iunij, quo tempore ingens ad eum in Aede Minorum fuit populi concurſus, quia mortuus, & viuus plura miracula feciſſe dicitur; ſepultus eſt in Eccleſia sancti Franciſci propè Chorum; poſt hunc Iacobus Archipresbyter Eccleſiæ maioris, & Epiſcopus Sebaſtenſis decimo quinto Cal. Septembris vitam deſerens magnam integritatis opinionem reliquit, nam & in vita pluribus charitatis, patientiæ, humilitatis, & pietatis exemplis claruit, & poſt obitum multas virtutes edidit, ob quas & magno funeris honore ſepeliri, & beatus haberi meruit; obijt etiam Nicolaus quintus ſummus Pontifex ex nimia doloris impatientia, quod biennio ante capta à Turcis Conſtantinopoli certum iam Italiæ, atque Occidentalibus regionibus periculum immineret. Quare aduerſus immaniſſimos hoſtes ſacra Crucis militia à Caliſto Tertio indicta Chriſtianis omnibus pecunias, aut arma conferentibus Mutinenſes parem reliquis pietatem declarauerunt. Ex eiuſdem Caliſti decreto inſtitutum illud emanauit, vt in meridie campanę ſono admoniti Beatam Virginem Dei Genitricem ſalutatione Angelica veneremur, ac Transfigurationem Domini Id. Auguſti celebremus ob inſignem victoriam à Chriſtianis in Pannonia ad Belgradum (quod Albagręca antiquis erat) contra Turcas eo die partam Deo flagellis conſolationem

tionem

tionem admiscente, vt eumdem vltionis, ac misericordiæ auctorem agnoscamus. Nec minori studio Pius secundus Calisto suffectus ad delendum hostem Christianos concitauit, Conuentu Episcoporum, Regum, & Principũ Mantuæ habito, in quo discordia, & ambitio nonnullorum tantum valuit, vt bellum maxime neceßarium procrastinatum fuerit. Iacobus Antonius, qui Cõuentui interfuit, debita opera præsenti, & abeunti Pontifici præstita Anno 1460. Mutinam se retulit, vbi per Ioannem de Sandris de Montagnana Vicarium suum, qui ob iuris Pontificij peritiam fuit aliquanto post creatus Episcopus Firmilianus, optime rebus Ecclesiæ constitutis obijt anno 1462. sepultus in Ecclesia Cathedrali.

DELPHINVS.

1463 DElphinus à Pergula, quod est oppidum nunc dominij Serenissimi Ducis Vrbinatium, tunc autem ditionis Ecclesiasticæ successit Iacobo Antonio à Turre in Episcopatu Mutinæ, translatus ab Ecclesia Parmensi ad Mutinensem, & Pius Pontifex Maximus mandat Archiepiscopo Rauennati, vt ipsum Delphinum commendatum habeat nunc Episcopum Mutinensem, qui prius erat Parmensis. Hic Episcopus de anno 1464. fecit plures contractus inuestiturarum de bonis Ecclesiæ Mutinensis per Iacobum de Balugola Decretorum Doctorem, & Ecclesiæ Cathedralis Præpositum, ipsiusque in Episcopatu Mutinæ Vicarium generalem; & de eodem Anno mandauit fieri æstimum beneficiorum, & Ecclesiarum omnium Mutinensis Diœcesis, vt sciatur quid, & quantum soluendum sit pro decimis Papę, & subsidijs charitatiuis, & alijs necessarijs, quod æstimum fuit confectum per Sindicum Capituli, & alium Sindicum Cleri Ruralis. De anno postmodum 1465. ipse Delphinus à Pergula Episcopus Mutinensis fecit publicari proclama contra vsurarios tribus diebus continuis per publicum præconem, & nuncium Episcopatus, & Communis Mutinæ hora tertiarum ad arengheriam Communis, quod proclama etiam postmodum approbatum fuit à Borsio Ferrarię Duce. eodem tempore fuerunt confecta subsellia lignea Chori Ecclesię Cathedralis, vt in eis annotatum tempus legitur. qui Delfinus de eodem anno 1465. vitam cum morte commutauit, Nicolao Lucensi eius locum excipiente, &c.

NICOLAVS.

1465 *Icolaus Lucensis ex familia Sandonina seruiuit Paulo Secundo summo Pontifici ab epistolis; fuit ab eodem factus Mutinensis Episcopus circa annum salutis 1465. vt scribit Nicolaus Tutius in libro octauo historiarum Lucensium; ad ipsum scribit aliquas epistolas Iacobus Cardinalis Papiensis, ex quibus cognoscitur, quantæ auctoritatis, & experientiæ fuerit ipse Nicolaus; poßessionem Episcopatus præsens inire non potuit per quinquennium fermè, prohibente Borsio Ferrariæ Duce, quod ob simultates, vt opinor, cum Lucensibus contractas occasione Carfignanæ, Lucensem hominem in sua ditione dignitate auctum pati nollet, Paulo secundo frustra indignante, ac interdictum Ecclesiasticum Ciuitati Mutinæ comminante, vt ex Papiensis epistola patet, sed tandem eiusdem Papiensis opera res compositæ fuerunt. Dum Nicolaus Mutina abesse cogebatur, fuit Præses, & Gubernator generalis Montiscasini in Latio, vbi Cœnobium illud sancti Benedicti pœnitentia insigne, ac vicinos populos gubernauit; hoc constat ex scripturis Baptistę de Prignano Notarij Episcopatus Mutinę, vbi adsunt literæ dicti Nicolai scriptæ Domino Symoni Calcaneo eius Vicario, quarum initium tale est.*

NIcolaus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Mutinensis, pro Sanctissimo Domino Nostro Paulo diuina prouidentia Papa Secundo in spiritualibus, & temporalibus Sacri Monasterij Casinensis Gubernator generalis venerabili viro, & eximio Decretorum Doctori Domino Symeoni Calcaneo de Regio, Vicario nostro Carissimo.

Dictæ literæ fuerunt datæ in Palatio Curiæ Casinensis die duodecimo Decembris 1467; & præsententæ fuerunt ipsi Vicario die quarta Ianuarij 1468, qui Vicarius postea de anno 1471. propter paupertatem mensæ Capitularis Cathedralis Mutinæ eidem mensę vniuit mansionarias, & sacristiam dictæ Ecclesiæ, tabulæ dictæ vnionis confectæ fuerunt per Ioannem Tauellam Episcopatus Mutinæ Notarium; Et de anno 1466. hoc Episcopo sedente Franciscus de Foliano Episcopus Comaclensis, Alexander de Longaris de Perusio Iuris vtriusque Doctor, Canonicus Bononiensis, & Vicarius, & Bartholomæus de Prato, arbitri electi inter Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Cathedra-

thedralis Mutinæ ex vna, & præsbyteros Mutinenses, & beneficiatos in eadem Ecclesia ex altera super quæstionibus inter dictas partes vertentibus occasione redditum mensæ communis instituta per Thomam de Petrezzanis tulerunt laudum suum super dictis differentijs rogatum per Gratianum de Grassis Bononiensem, & Ludouicum de Tauellis Mutinensem Notarios. Et de anno 1472. huius Episcopi tempore homo quidam laicus asello considens, atque ingentem Crucem ligneam manu ferens Bononiam, Mutinam, Regiũ, Ferrariam, & Mantuam adijt, ac quotidie extra Ecclesias concionare instituit, fœda hominum flagitia increpans, iram Dei impendentem prænuncians, ac mortales ad pœnitentiam agendam adhortans; itaque hominis admiratione adductus ingens virorum, ac mulierum numerus ei se applicuit; is verò videtur fuiße Ludouicus Morbiolus, qui his temporibus vitam huic similem traduxit, quem Baptista Mantuanus Carmelita versibus est prosecutus ad Innocentium Octauum, qui post mortem miraculis clarere cœpit, sepultus est Bononiæ in Ecclesia sancti Petri Bononiensis; Et de anno 1475. Indictione octaua die Dominico vigesimo quarto mensis Septembris, regnante Pontifice Sixto Quarto, & Duce Ferrariæ Hercule eius nominis primo apertum fuit Sepulchrum Sancti Syluestri situm in Ecclesia Abbatiæ Nonantulæ Diœcesis, ac Ducatus Mutinæ tempore Reuerendi Domini Guroni Mariæ Estensis dictę Abbatiæ Commendatarij per Reuerendissimum Dominum Benedictum Episcopum Tripolensem, & quam plures alios pręsbyteros, & religiosos, astantibus multis Notarijs ciuibus Mutinę, & alijs personis pro testibus à pręfatis Notarijs adhibitis, & vocatis, in quo quidem Sepulchro repertum fuit caput hominis cum multis ossibus integris, & fractis, & vna tabula plumbea cum hac inscriptione.

Hic requiescit Corpus Beati Syluestri Pontificis, cuius præcibus Deo . . . Constantinus Imperator Magnus delatum ab Anselmo Abbate, & Aistulpho Rege Italorum, & ab Adriano Pontifice concessum anno Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI 753.

Et dictum Sepulchrum remansit apertum per tres dies, magnaque populi multitudo ex diuersis partibus eò confluxit; ex quo Ciuitas Mutinæ certior facta, ibi adeße corpus illius Summi Pontificis, summa est perfusa lætitia, apud multos

multos enim erat in ambiguo, an ibi verè dictum Corpus adesset. Hoc sedente Episcopo, videlicet de anno 1477. floruit frater Gabriel Ordinis Minorũ ex nobili Rangonorum familia, filius licet naturalis Comitis Vidonis senioris, qui Gabriel ob infestam nouercæ conuersationem secessit ad partes Vngariæ, ibique à nemine cognitus Ordinem sancti Francisci ingressus est, & sub disciplina Ioannis Capistrani tunc temporis non solum doctrina, sed & sanctitate vitæ in dicta Religione conspicui, tantum profecit, vt egregius illorum temporum concionator, & morum magistri sui imitator euaserit, quapropter Matthiæ Vngarorum Regi admodum carus fuit, illiusque apud Principes in pertractandis negocijs opera vsus fuit, illumque Romam ad Sixtum Quartũ Pontificem Maximum misit, à quo primum Albæ, mox Agriæ Episcopus creatus, demũ in numerũ Cardinaliũ, ita instante Rege, cooptatus fuit, & cum Turcæ Apuliam tunc temporis deprædarentur, ob eius in pertractandis negocijs prudentiam, ac dexteritatem ad Regnum Neapolis fuit destinatus Legatus. Tandem cum esset Bononiæ in domo Ioannis Bentiuoli, à nemine cognitus natiuitatem suam manifestauit Comiti Nicolao eius fratri; obijt postea Romæ sepultus in Ecclesia Arcœli. Hic Episcopus fecit de anno 1479 Synodum Diœcesanam in Ecclesia Cathedrali, in qua plures fecit Constitutiones Ecclesiæ Mutinensi vtiles, sed præcipuè vnam super clausura monialium, & aliam super matrimonijs ter publicandis in Ecclesia. Hanc Synodum manu scriptam habemus. Symon de Calcaneis Regiensis Decretorum Doctor, & Canonicus Mutinensis, Vicariusque Domini Nicolai Lucensis Episcopi Mutinæ de anno 1471. approbauit fabricam Sacristiæ nouæ Basilicæ Cathedralis, quæ tunc temporis ædificata fuerat secundum iudicium Petri de Corsica Abbatis Sancti Petri Mutinæ, & cum de anno 1471. ipse Nicolaus Mutinam adijsset, rebus cum Borsio Duce Ferrariæ compositis animum applicuit reparationi Episcopij, quam postea incboauit anno 1472. ędificauitque partem illam Palatij Episcopalis, quæ respicit forum, & postea de anno 1473. approbauit Constitutionem factam ab Hercule Duce Ferrarię, ne à duabus sententijs conformibus appelletur; anno deinde 1475. missus fuit in Gallias sedis Apostolicę Legatus, vt Ludouicum Gallorum Regem, & Carolum Burgundię Ducem magnis vtrinque coactis copijs bellum parantes ad concordiam hortaretur; & postmodum de anno 1479. cum Iacobus Cardinalis Papiensis, de quo supra, qui erat Episcopus Lucensis, obijsset, Nicolaus ab Episcopatu Mutinensi ad Lucensem translatus fuit, vt scribit idem Tutius vbi supra.

IOANNES ANDREAS.

1480 IOannes Andreas Regiensis familiæ de Bociacijs Nicolao Lucensi successit in Episcopatu; hic Episcopio Mutinæ partem aquilonarem addidit, vt ex inscriptione ibi affixa patet; erat Iurisconsultus satis celebris; fuit Legatus Sixti Quarti ad Ferdinandum Siciliæ Regem; fuit hæreticæ prauitatis Inquisitor apud Sabaud. sub Innocentio Octauo, & Alexandro sexto Pont. Max. ac negociorum Herculis Ducis Ferrariæ Orator. Hic Episcopus per suum Vicarium Thomam Amadeum Ferrariensem de anno 1485. interposuit auctoritatem suam fundationi beneficij Parochialis Ecclesiæ sancti Hieronymi dicti della Cà de Coppi Diœcesis Mutinensis erecti per Dominā Violantam de Rangonis cum reseruatione Iuris patronatus, Et de anno 1486. dicto Episcopo sedente per Locumtenentem Legati Bononiensis Ecclesia Parochialis sancti Pauli Mutinæ, quæ erat vnita Prioratui sancti Iacobi de Columbario ordinis sancti Augustini Mutinensis Diœcesis, & erat valoris sex florenorum auri de camera, precibus Heleonoræ de Aragonia Ducissę Ferrariæ separata fuit à dicto Prioratu cum consensu Commendatarij eiusdem, ac vnitæ monialibus sanctæ Mariæ de Misericordia in suburbijs Mutinę, vt commodius se sustentarent, securiusque in vrbe degerent, & incumbentia onera facilius ferre possent, & de Anno 1488. Innocentius Octauus per literas suas in forma Breuis sub Datum Romę sub annulo Piscatoris die primo Octobris 1487. mandat Episcopo Mutinensi, seu eius Vicario, vt puniat delinquentes Clericos non obstante appellatione; & de eodem anno idem Pontifex instante Hercule Duce Ferrarię per alias literas suas datas Romę die vndecima Decembris committit Vicario Episcopi Mutinę, vt cogat omnes religiosos, cuiuscunq; sunt ordinis in foro Episcopali ad soluendum debita sua vsque ad summam ducatorum decem; et perprius de anno 1483. Indictione vndecima die decimo nono Maij Ioannes de Bociacijs Iurisperitus, Vicarius Ioannis Andreæ Episcopi considerans iuxta sacrorum Canonum instituta Pastorali officio maxime conuenire, vt Christi fidelium subditorum suorum vota, maximè vbi de cultu illustrando summi Dei, gloriosæ Virginis Matris, & Sanctorum suorum reuerentia, & animarum salute agitur, benigno fauore prosequantur, & cum ad eius notitiam peruenisset fide digna relatione, quod in Diœcesi Mutinensi in confinibus Territoriorum Montis albani, & Montis castioli in loco dicto alla Verrucchia, vbi ex antiquorum fama, & ex apparentibus vestigijs solebat esse Capella, seu Ecclesia sancti Pauli, quadam

prędictę Gloriosę Virginis Imago depicta sit, ad quam miraculorum oblectati dulcedine pro multis obtentis gratijs illorum, & circumstantium locorum populorum multitudo confluit indesinenter, de & super omnibus supradictis diligenti inquisitione maturis consilio, & deliberatione pręhabitis, Spiritus sancti inuocato auxilio, auctoritate ordinaria omni meliori modo, via, iure, & forma locum supradictum, vbi est imago prædicta, & vbi veteris Ecclesiæ sancti Pauli vestigia consistunt, in oratoriũ perpetuum sub vocabulo sanctæ Mariæ, & sancti Pauli erexit, & fundauit fabricandum ipsorum hominum sumptibus vna cum oblationibus ad ipsam imaginem factis, & fiendis, quam sic constructam Ecclesiam, & dotatam à supradictis instituit beneficium Iurispatronatus communis Montisalbani pro vna, Communis Montiscostioli pro altera, & Archipręsbyteri Plebis Mißani pro tertia parte; hęc omnia constant ex scripturis Baptistæ de Prignano Notarij. His temporibus floruit Beatus Marcus Mutinensis ordinis Prædicatorum vir pietate, innocentia, ac religione insignis, cuius expressam è viuo imaginem egregius pictor Pisauri in Aede Prædicatorum sacello porta maiore intro euntibus à dextra secundo effinxit vna manu christum crucifixum, quem fixis oculis intuetur, altera flagellum ferreum, quo sæpius ad macerandam carnem vti consueuerat, sustinentem; eius vitæ sanctitatem Deus varijs miraculis tam in vita, quam post mortem comprobauit. Obijt senio confectus Pisauri anno salutis 1499. die Diuo Apostolo Matthęo solemni; eius ossa multos post annos è sepulchro antiquo eruta, suauissimoq; odore fragrantia recondita fuerunt sub ara Rosarij à Sodalibus, vbi illa multis fulgere miraculis auctor est Seraphinus Razius in historia de vitis Sanctorum ordinis Prædicatorum. Eisdem fermè temporibus multis miraculis Deus eximiam Beatę MarghAritę Fontanę innocentiam decorauit, quę de anno 1440. orta ex Alexandro Fontana, & Francisca Morana Mutinensibus ciuibus honestissimis quinto nonas Maij, quo die memoria salutiferæ Crucis inuentę agitur, perpetuam Deo virginitatem consecrauit, ascitoq; sibi in Patronum Diuo Dominico post susceptum illius habitum, quem Tertij ordinis vocant, ieiunio, vigilijs, ac orationi totam se dedit, sola palea, vel nudis etiam tabulis pro nocturno strato contenta, cum dęmone grauem sæpius luctam sustinuit, quem solo humilitatis spiritu, ac signo crucis semper eiicit; eleemosynis pauperum multum erat dedita, ea propter fratrem sępius domi infestum habuit, qui illius in eleemosynis faciendis largitatem ęgrè ferebat; multis miraculis, auctore Seraphino Razio, viuens, & mortua refulget, quę postmodum septuagesimũ tertium annum agens sub cilicio, catenaq; ferrea, qua pręcingi consueuerat, spiritum Deo reddidit anno salutis 1513. in ęde Diui Dominici Mutinæ sepulta in sacello portę meridionali proximo tanto populi concursu, & religione

gione

gione, vt quisq; ex veste illius habere cuperet, idcircoque fuit prohibitum ne vestimenta eius tangerentur, quia nuda relicta fuisset. obijt autem Io. Andreas Episcopus de anno 1495. de mense Septembris Romæ, sepultus in Templo Pacis in sepulchro marmoreo, cui Epitaphium his notis insculptum legitur.

Ioanni Andrææ Bociacio ex Regio Lepidi Iurisconsulto Episcopo Mutinæ, ad Ferdinandum Siciliæ Regem Sixti Quartl Pontificis Maximi Legato patrimonij Dioceti Hæreticæ noxæ Quæsitori apud Sabaud., sub Innocentio Octauo, & Alexandro Sexto Pontificibus Maximis, negociorum Herculis Ferrariæ Ducis Oratori, Executores ex Testamento benemerenti posuerunt anno salutis 1497.

IOANNES BAPTISTA.

1495 *DEfuncto Ioanne Andrea in eius locum suffectus est Ioannes Baptista Ciuis Mutinensis ex honesta Ferrariorum familia; hic adolescens in tenui fortuna iuris prudentiæ operam dedit, in eaq; satis notabiliter profecit, Romam postea petijt, vbi sacerdotijs, & præcipue Canonicatu Ecclesiæ Mutinensis ditatus tantum pecuniæ ex ipsorum redditibus, & industria sua cumulauit, vt venalia quædam Cancellariæ officia emerit, in clientelamque à Roderico Borgia Cardinale sanctę Romanę Ecclesię Vicecancellario aßumptus inter scriptores, ac solicitatores literarum Apostolicarum, ac deinceps inter duodecim viros dictandis eisdem literis Apostolicis præfectos (quos maioris pręsidentiæ abbreuiatores appellant) summa cum doctrinę laude locum habuerit. Defuncto postmodum Innocentio Octauo Pontifice Maximo in eius locum suffectus est dictus Rodericus, vocatusque Alexander Sextus, qui in Aulam Vaticanam Ioannem Baptistam recepit, quem primo Referendarij domestici, deinde Datarij titulo honestauit, & demum etiam Cancellariæ Regens, ac moderator laboriosam negociorum molem forti animo diù sustinuit, sed cum augendis ęrarij Apostolici opibus nimis anxie incumberet, aliqualē auaritię notam incurrit, ex qua sibi in Aula insignem contraxit inuidiam, et*

 in plu-

in plurimorum incidit maleuolentiam , ipse vero sola Alexandri beneuolentia , ac gratia nitebatur , cui cum omnem solertiam , ac diligentiam in omnibus negocijs accuratè prestitißet , Episcopatu Mutinensi, ac Archiepiscopatu Capuano donatus in sacrum etiam Cardinalium Senatum anno salutis 1500. quarto Cal. Octobris sub titulo sancti Grisogoni est cooptatus . Pro huius assumptione ad Cardinalatum fuerunt facta Mutinæ multa lætitiæ signa publice, & priuatim; aperti fuere carceres, missiq; Romam Legati ad agendas summo Pontifici gratias pro tanto honore in personam sui ciuis collato, & publico decreto statutum fuit, vt eodem die quotannis fierent signa publica lætitiæ, vt auctor est Paninus in Chronico; hic factus Episcopus de anno 1495. exegit à Clero Mutinensi subsidium charitatiuum, & per Ioannem de Viscantis decretorum Doctorem eius generalem Vicarium fecit promulgari Edictum contra Daciarios Mutinæ, ne grauarent Clericos etiam in bonis patrimonialibus; Cõduxit pro Suffraganeo Ioannem de Sandris de Montagnana , qui postea obijt Mutinæ de anno 1498. die 22. Septembris ; Idem Episcopus de anno 1496. suo publico edicto, etiam sub pœna excommunicationis indixit omnibus populis, & Parochis suæ Diœcesis à Sera Ligurzani deorsum , vt quotannis pridie Cal. Maij conuenirent Mutinæ ad honorandum diem festum Diui Geminiani,& oblationem vnicuiq; Communi à Statuto Mutinæ præscriptam facerent ; hæc omnia ex scripturis Baptistæ de Prignano Episcopatus Mutinæ Cancellarij cõstant. Hoc eodem Episcopo de anno 1501. institutus fuit Mons farinæ Mutinæ ,fratre Hieronymo Veronense Ordinis Prædicatorum id efficaciter concionibus suis persuadente, ipse enim tunc temporis verbum Dei populo Mutinensi annunciabat in foro , cum Ecclesiæ non eßent capaces tantæ multitudinis , quæ concurrebat ad audiendum verbum diuinum . Hunc virum licet Veronæ natum Mutina semper summo amore prosecuta est , mirificeq; coluit; & inter ciues suos eum reposuit, illis enim temporibus, quo terræmotus magnus Mutinam ferè deuastauerat , pestilentiaque subsecuta plures è medio sustulerat , ipse cum multam haberet facundiam cum sanctitate vitę coniunctam,in sacris concionibus mirificè proficiebat, corruptosq;libidine, atq;alijs vitijs hominum animos ad continentiam, ac meliorem frugem reduxit. Diutius Mutinæ commoratus omnibus carus fuit, Ciuitatiq;multum vtilis , nam ad subleuandam pauperum inopiam auctor fuit, vt collata stipe, publicaque accedente pecunia constitueretur certa rei frumentariæ ratio , qua vberior Vrbis annona conseruaretur,ac iusto precio exponeretur venalis farinæ copia ad eorum commodum,quibus diurna mercede ex artificio viuentibus annuam penum instituere magno ære non liceret,& Montis farinæ nomen promeruit,sed huius instituti, aliorumque operum cum magna pietatis laude perfectorũ gloriam longe auxit

apud

apud omnes eximiæ illius integritatis opinio, quam signis etiam post mortem editis confirmauit; obijt autem Mutinæ anno salutis 1520. ac in Dominicana Aede marmoreo sepulchro conditus ad sacellum Sanctæ crucis à Pamphilo Saxo celebri eius ętatis Vate hoc Phaletium carmen habuit.

Non est hic tumultus, sed sacellum,
Nam claudit cineres beatiores,
Hic est ille Hieronymus viator,
Qui lingua potuit disertiore,
Addictos Veneri libidinosę,
Vestæ amoribus obligare castis,
Qui pestes scelerum maligniorum,
Mira depulit arte concionum,
Auxit, qui Mutinam Pater, Decusq;
Cornu munere copiæ beato,
Quod montem Cerreris probe vocauit,
Nam frugum cumulo perenniore,
Vt mons tollitur ad Sereniora,
Hic soluas igitur sacros honores,
Nam non est tumulus, sed sacellum.

Sepulchro deinde addita fuit eiusdem beati viri exculpta effigies, cui ab eodem Pamphilo inscriptum fuit hoc Elogium.

Hieronymus Veronensis Diui Dominici flamen, & concionator optimus, cum diù tum bene dicendo, tum bene faciendo Christianam Rempublicam honoribus auxisset, Mutinęque, quam in fidem, & clientelam susceperat, perpetuæ frugum vbertatis, ac dum

laxioris

laxioris annonę præfecturam statuisset, in Cœlum sublimis abijt, vbi quantæ sit auctoritatis, argumento sunt votiuæ tabellę, & opera eius longè humanis maiora, & augustiora.

Hæc de fratre Hieronymo Veronensi dicta sint. Sed vt ad Ioannem Baptistã Episcopũ redeamus, hic creatus cardinalis cum perseueraret in congregandis opibus multis displicuit, plures offendit, & de paucissimis benemerebatur, qua re indignationem etiam ipsius summi Pontificis incurrit, & tandem veneno sublatus est à Sebastiano Pinzono cremonẽse, cubiculi præfecto, qui postea Leone decimo Põtifice Maximo Aliciẽsi Episcopo Vrbis Gubernatore ob alia crimina carceratus, hoc eodẽ, quod antea negauerat in tormẽtis, spõte reuelato, pœnas dedit. Ob eius mortẽ delata est in fiscũ ipsius Ioãnis Baptistæ opima hæreditas supra octuaginta millia numorũ aureorũ æstimata, Frãcisco fratre, qui ad Vrbem triduo antè accurrerat, incassum reclamante. Vixit Ioannes Baptista altero supra quinquagesimũ anno vir eruditione, ac praxi rerum ad Romanam Cancellariam spectantium exactissime commendandus, in scribendis autem diplomatibus Apostolicis, qua copia, quauè elegantia vteretur, satis apparet ex pluribus diplomatibus ab eo Alexandri nomine conscriptis, quæ circumferuntur, & præcipue in ipsa Iubilei publicatione, in eo enim genere nemo quicquam amplius desiderare potest; Ecclesiam capuanam annum integrum non potuit administrare morte præuentus, Mutinensi autem Ecclesiæ Septennio præfuit, in qua præter illa ab eo gesta, quæ supra dicta sunt, illud etiam non est prætermittendum, quod ipse anno Iubilei magni 1500. eam à summo Pontifice delictorum veniam Ciuitati id expetenti impetrauit, quæ solis sacra Apostolorum limina visitantibus concessa fuerat. Obijt Romæ in Palatio Vaticano sexto cal. Augusti 1502. & penes augustissimam Diui Petri Basilicam in Aedicula deiparæ Virginis, quæ à febri dicitur, cum modica funeris pompa sepulchrum habuit. Eius ossa deinceps Mutinam translata commune sepulchrum cum Francisco fratre supra portam occidentalem maioris Templi acceperunt, vt indicant hæc carmina, quæ parieti, antequam albario illiniretur, depicta paucis ab hinc annis legebantur.

Hic

Hic situs Antistes Capuæ venerabilis, atque,
Maxima Ferrariæ gloria, spesq; domus,
Qui pariter Presul Mutinæ rutilante galero,
Grisogoni titulos, sacraq; signa tulit,
Ioannes Baptista fuit, cui nomen, & idem,
In quo prisca fides religionis erat,
Cuius Alexander Romanus Pastor agebat
Sextus consilio grandia queq; suo,
Hæc illi frater patria successor in isto,
Franciscus pario marmore clausus adest,
Dominus Hercules de Ferrarijs fieri fecit 1510.

FRANCISCVS.

1502 *FRanciscus Ferrarius Mutinensis ad Ecclesiam cathedralem eiusdem Ciuitatis, quam Ioannes Baptista eius frater sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis administrauerat, ab Alexandro Sexto summo Pontifice in solatium mortis fratris promotus, cum adhuc nullo clericali charactere insignitus esset, per Herculem Ferrarium procuratorem suum eiusdem Ecclesiæ possessionem iniuit quinto Id. Augusti 1502; erat enim Romæ, dum cardinalis eius frater ex veneno in extremis laborabat, Pontificio fisco opimam hæreditatem ita postmodum adeunte, vt alijs reliqui nihil esset. Iustis itaq; fratri persolutis Franciscus Mutinam reuersus in constituenda Ecclesia curam omnem Pastoralem impendit, à terræmotu, peste, ac fame tota iam per quadriennium afflicta Ciuitate, nec diuina post hæc supplicantibus clementia defuit, cum pestis, ac terræmotus finem subsecuta sit anno 1505. insignis frugum omnium vbertas; dumq; ipse Franciscus ornamento sacrarij maioris, quo nunc Basilica vtitur, studet, dumq; illi ara picturis, ac sedilibus decenter ornando incumbit anno 1507. moriens successorem habuit Hippolitum Atteslinum Alphonsi Ducis fratrem, atq; in Basilica sepultus est.*

Hippo-

HIPPOLITVS.

1507 Hippolitus Ferrariensis ex nobilissima Attestinorum familiâ filius Herculis Ducis Ferrariæ, & fratêr Alphonsi creatus fuit Cardinalis ab Alexandro Borgia, & Episcopus Strigoniensis, & deinceps de anno 1507. aßumptus fuit ad Episcopatum Mutinæ, propter quod facta fuit multa exultatio; habuit pro Suffraganeo Thomam de Furno Episcopum .... qui Suffraganeus obijt Mutinæ die vigesimo primo Iulij 1521. scripsit literas Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, in quibus concedit licentiam seruis ipsorum Canonicorum, vt poßint arma deferre, modo honestè procedant. Hoc sedente Episcopo obijt Beata Marghârita Fontana, de qua supra in vita Ioannis Andreæ; incidit hic Episcopus in illa tempora, in quibus propter variam Attestinorũ fortunã cũ Ecclesia nõ potuit aliquod insigne in Ecclesia Mutinẽsi gerere, & ideo tẽpore illius Præsulatus pluries fuit interdicta Ciuitas causa Bentiuollorum, licet ipse Cardinalis, & Episcopus multum iuuerit partes Ecclesiæ contra Bentiuollos, congregauit enim de mense Aprilis 1507. multos milites, vt expelleret ipsos Bentiuollos è Castro Spilimberti, & Saxoli, quò se ipsi receperant; obijt autem Ferrariæ die secunda Septembris 1519. eius locum excipiente Hercule Rangono, &c.

HERCVLES.

1519 Ercules Rangonus Prothonotarius Apostolicus à cunctis tanquam Præsul exemplaris in veneratione habitus, & multæ in Curia Romana auctoritatis propter raras eius qualitates creatus fuit Cardinalis à Leone Decimo sub titulo sanctæ Agathæ de anno 1517. deinceps factus fuit Episcopus Adriẽsis, & postremo de anno 1519. obtinuit Episcopatum Mutinæ de mense Septembris; vsus est opera Dominici Sigbaldi in Vicariatu, qui de anno 1521. habuit Synodum Mutinæ die duodecima Iunij, quam impreßam habemus. Hic à Garimberto appellatur sacri Senatorij ordinis decus, amor, ac delicia; obijt Romæ de anno 1527. in Arce Adriani, dum ibidem Clemens Septimus à Cæsarianis teneretur obseßus, volunt aliqui illum ex pestilentia ibi deceßiße, &c.

PYRRVS.

1527 IN locum Herculis defuncti suffectus est Pyrrus Mantuanus ex antiqua, & nobilissima Gonzagiorum familia, qui ab ipso Clemente septimo adhuc ab exercitu Cæsaris in ipsa Adriani Arce obsesso electus fuit Episcopus Mutinensis, & ab eodem postmodum factus Cardinalis se abdicauit Episcopatu, nulla accepta consecratione, nec Ecclesiam vnquam adijt, locum ipsius excepit Ioannes Moronus de quo, &c.

IOANNES.

1527 IOannes Moronus Patricius Mediolanensis à Clemente septimo anno 1527. factus fuit Mutinensis Episcopus; vir fuit multa rerum experientia clarus; fuit Nuncius apud Regem Vngariæ, & Bœmiæ, apud quem illud exercuit officiũ ab anno 1536 vsq; ad annum 1540. & postmodum à Paulo Tertio de anno 1542. in Cardinalium numerum cooptatus Bononiæ legatus constitutus fuit. Vna cum dicto Ioanne fuerunt creati Cardinales frater Thomas Badia ciuis Mutinæ ordinis fratrum Prædicatorum, & tunc sacri Palatij Magister, vir nedum literarũ scientia, sed etiam vitæ sanctitate insignis, qui obijt Romæ die 8. septembris 1547. sepultus in porticu sanctæ Mariæ supra Mineruam; in eadem etiam promotione fuit creatus Cardinalis Dominus Gregorius Cortesius etiam ciuis Mutinæ, monachus sancti Benedicti, & Abbas insignis monasterij sancti Benedicti in agro Mantuano, vir apprimè eruditus, qui obijt Romæ de anno 1548. die 21. septembris, & ante ipsos de anno 1536. creatus fuerat Cardinalis Iacobus Sadoletus nobilis Mutinensis, & Episcopus Carpentoractensis, qui fuit à secretis Leonis Decimi; obijt etiam ipse Romæ die 18. Octobris 1547. sepultus in Ecclesia sancti Petri ad vincula. Sed vt ad Cardinalẽ Moronũ redeamus, hic cũ audiret, quod plures mulieres, quæ corpus suũ iã prostituerant, eius prostitutionis pœnitere, ac libenter se abdicaturas ab huiusmodi fœdis voluptatib. si locũ haberẽt, in quẽ cũ aliqua vitæ disciplina, ac victus cõmoditate se recipere possẽt, auctor ciuibus fuit, ut pecuniã

conferrent, ac locum eis pararent, & sumptibus paratis idoneis Conuersarum mulierum sanctæ Mariæ Magdalenæ collegiũ instituerunt. Sub hoc codẽ Episcopo Collegiũ Orphanarum dette del Canallino institutũ est de anno 1537. à Ludouico Columbo ciue admodum pio, & charitatis pleno, qui eius Collegij curam Testamento condito conseruatoribus Ciuitatis demandauit. Idem etiam Ludouicus eodem tempore instituit monasterium monialium Corporis christi Ciuitatis Mutinæ, illud certa pecuniæ quantitate dotando ea mente, & intentione, vt quæcunq; puellæ Collegij dette del Canallino vellent se solemnibus votis adstringere, in dictum monasterium gratis reciperentur, quod onus postea tanquam nimis graue, & contra statuta subsecuti concilij Tridentini moderatum fuit per eundem Episcopum, & reductum ad numerum quatuordecim tantum, & deinceps per Sixtum Episcopum ad numerum decem, postremo per Congregationem Regularium ad quinq;, licet Præsides dicti collegij adhuc contra dictam moderationem multum reclament; Idem Episcopus, & Cardinalis ædificationi noui monasterij dictarum monialium Corporis Christi incubuit, sed morte præuentus illud perficere non potuit. Sub hoc Episcopo dirutum fuit monasterium sanctæ Cæciliæ in suburbijs Mutinæ, quod erat fratrum minorum de Obseruantia Sancti Francisci, & erat satis insigne, & fuit solo æquatum ab Hercule secundo Ferrariæ Duce nouis propugnaculis Vrbem muniente, vt aliæ multæ Ecclesiæ in suburbiis Mutinæ, & præcipuè Oratorium Beatæ Mariæ Virginis propè mœnia Ciuitatis extra portam Saliceti, qui erat locus multæ deuotionis, in quo diruẽdo corruerunt duo artifices, vnus post alium præcipites, & collisi perierunt, quod miraculo ascriptum fuit, cum nullus præter ipsos ausus fuerit manum destructioni dicti loci apponere; ibi erat imago Beatæ Virginis pluribus decorata miraculis, vt multæ votiuæ tabellæ, ac statuæ ostendebant, quę omnia postea vna cum dicta imagine eiusdem Beatæ Virginis in Ecclesiam sancti Iacobi intrà Ciuitatem translata sunt. Et vt ad Franciscanos fratres redeamus, ne nostra Ciuitas illo ordine careret, excepti fuerunt intra Ciuitatem ab Antonio Bonino Canonico Mutinensi, ac Aedis sanctę Margharitæ Parocho, ex auctoritate Pauli Tertij Pontificis Maximi, qui suis literis octauo Id. Maij 1538. datis rem comprobauit, Aede autem hac ob uetustatem collabente, alia noua, vbi nunc visitur, ad honorem Sanctarum Virginum Cæcilię, ac Margharitę piorum eleemosynis, ac pręcipuè Antonij Florebelli Episcopi Lauellini, ac Ludouici eius fratris affinium meorum liberalitate fundata, ac pro parte extructa fuit; hęc omnia, pręter quod vidimus, ipsa habentur etiam ex Francisco Gonzaga in secunda parte libri de origine Seraphicæ Religionis conuentu decimonono. Sub hoc eodem Episcopo orta est grauissima dissensio inter moniales sancti Geminiani Mutinæ, dum enim Ciuitas seditionibus

ciuili-

ciuilibus exardesceret, quæ inter familias principales eiusdem Ciuitatis, & præcipue illam de Bellencinis, & de Fontanis orta fuerant, ipsæ etiam moniales, quæ erant ex ipsis familijs, in monasterio suscitarunt eosdem tumultus, & ita acriter se intus monasterium persequebantur, vt necesse fuerit partem illarum dictarum monialium, quæ sequebatur factionem familiæ de Bellencinis, exire è dicto monasterio, quibus pro illarum habitatione concessa fuit Parochia sancti Laurentij cum domibus suis, & postmodum erecta fuit in monasterium, in quo nunc dictæ moniales habitant. Hoc etiam sedente Episcopo presbyteri mensæ communis Cathedralis Mutinæ statuerunt, quod nullus tacite, vel expresse professus in aliqua ex Religionibus approbatis, & non oriundus è Mutina admittatur ad participationem fructuum mēsæ communis, quæ Constitutio fuit confirmata à Ioanne Dominico Sigbaldo Reuerendissimi in Christo Patris Domini Marini Cardinalis Grimani de latere legati Galliæ cispadanæ in Ciuitate, & Diœcesi Mutinensi auctoritate Apostolica Vicario, nec non etiam Vicario generali Reuerendissimi Domini Ioannis Cardinalis Moroni Episcopi Mutinæ, tabulæ dictæ confirmationis confectæ fuerunt per Bartholomæum Mirandulam Episcopatus Mutinæ scribam; eadem constitutio deinceps de anno 1547. confirmata fuit per sanctissimum Dominum Paulum Tertium Pontificem Maximum. Hic Episcopus introduxit Patres societatis IESV in Ciuitatem de anno 1546. & in constructione ipsorum Ecclesiæ posuit primum lapidē, quæ Ecclesia est in Parochia sanctæ Mariæ de Pomposia, & de anno 1550. renunciauit Episcopatui ad fauorem fratris Aegidij Foscherarij ordinis Prædicatorum, & sacri Palatij Magistri, reseruato sibi regressu ad dictam Ecclesiam. Et tempore Pauli Quinti summi Pontificis imputatus, quod de fide non recte sentiret, in Castro, quod dicunt sancti Angeli, detentus ibi fuit vsq; ad mortem dicti Pauli summi Pontificis, quo defuncto ex decreto sacri Concistorij à carceribus liberatus interfuit Conclaui, in quo creatus fuit summus Pontifex Ioannes Angelus de Medicis, & Pius quartus appellatus, qui causam prædicti Ioannis expediendam commisit fratri Michaeli de Ghiselerijs Cardinali Alexandrino nuncupato, sacri officij vniuersalis Inquisitionis Inquisitori generali, qui re diligenter discussa absoluit dictum Ioannem, & Aegidiū Foscherarium eadē de causa detentum ab imputationibus sibi datis, vt in sententia Typis excusa late apparet. Hic fuit legatus in Concilio Tridentino, ipsoq; legato existente conclusum fuit dictū Conciliū, & post mortē Aegidij, quæ secuta est de anno 1564. cum vigore regressus prædicti iterum factus fuisset Episcopus, per octo annos Episcopatū administrauit, quo tempore multa præclare gessit, nam de anno 1565. habuit synodum perpulchram, in qua vltra publicationem decretorum Concilij Tridentini, multa Ecclesiæ decreta vtilia confecit, habuitq; alias

duas synodos, quæ omnia Typis excussa sunt; & de eodem anno introduxit fratres Capuccinos in Ciuitatem, quos primum in suburbana sancti Faustini Parochia sedes ponere iussit, sed deinceps eo loco incommodo reperto in Vrbem intro ducti sunt; & de anno 1567. erexit in Ciuitate Seminarium, quod ex decimis beneficiorum sustentabatur, donec ei fuit prouisum de competentibus redditibus; & de anno sequenti interfuit Concilio Prouintiali habito Rauennæ per Iulium Feltrium Cardinalem Vrbini nuncupatum, & Ecclesiæ Rauennatis Archiepiscopum. Idem Episcopus de anno 1571. curam puerorum orphanorum dedit Confraternitati sancti Bernardini, quorum Collegium prius etiam ipse instituerat, auxiliante Ciuitate; & de eodem anno cessit Episcopatui ad fauorem Sixti Vicedomini Nouocomensis Ordinis Prædicatorum affinis sui; in tumultibus Ianuensium sedandis egregiam nauauit operam constitutus legatus ad hunc effectum à Gregorio Decimotertio Pontifice Maximo, deinceps ab eodem Pontifice ad Maximilianum Imperatorem missus, expeditisq; ijs, quæ in ea legatione agenda erant, Romam reuersus, & per multos annos viuens, tandem multis superatis persecutionibus, ac laboribus quam plurimis perfunctus de anno 1580. plenus dierum cum maximo omnium mœrore Decanus Collegij Cardinalium obijt Romæ sepultus in Aede sanctæ Mariæ supra Mineruam ordinis Prędicatorum, cuius ille erat protector, sicut & monachorum sancti Benedicti, & Fratrum sancti Alexij Romæ, eius sepulchrum est in pauimento dictæ Ecclesiæ ante aram maiorem cum hac inscriptione.

Hic iacet corpus Ioannis Cardinalis Moroni, Patricij Mediolanensis, Episcopi Hostiensis, qui fuit legatus Apostolicus in sacro Concilio Tridentino, uixit annos septuaginta vnum, menses decem, dies quinque obijt prima Decembris 1580. orate Deum pro eo. Hieronymus Moronus Comes Pontiscoroni hæres, Horatius Moronus, Episcopus Sutrinus, & Nepesinus fratris filius Domino, ac Patruuo optimo ex Testamento mœrentes posuerunt, &c.

AEGIDIVS.

1550 AEgidius patria Bononiensis ex honesta Foscherariorum familia à Iulio Tertio Mutinensis Episcopus factus, eo quod Ioannes Cardinalis Moronus Episcopatui ad eius fauorem cesserat, reseruato sibi ad ipsum regreßu, & prius à Paulo Tertio Magister sacri Apostolici Palatij factus fuerat; hic adolescens ingreßus est ordinem Prædicatorum, in eoque profeßus mirabiliter in literis profecit, adeo vt postea in Concilio Tridentino arca scientiæ appellaretur, in ipsoque Tridentino Concilio egregiè se gessit, & ipsius pars magna fuit; dum eßet Episcopus Romam à Paulo quarto vocatus carceribus mancipatus fuit vnà cum Ioanne Cardinale Morono eo prætextu, quod vterque male sentiret de fide, cuius ille Pontifex acerrimus erat defensor, & sibi persuadebat Aegidium esse conscium actionum dicti Moroni, & etiam quia aliqui maligno spiritu ducti accusationes falsas sine nomine contra Aegidium protulerant. Quarè in carceribus mansit vsque ad mortem Pauli Quarti Pontificis maximi, in cuius locū postea suffectus Pius iiij. causam cognoscendam commisit fratri Michaeli Ghisleri o Sanctę Romanæ Ecclesię Cardinali Alexandrino nuncupato, & Inquisitori supremo, qui Cardinalis Alexandrinus postea creatus fuit Pontifex, & Pius Quintus appellatus, hic re cognita, diligenterque discußa vtrumque ab imputationibus sibi datis absoluit; in Episcopatu multa pręclare gessit; Montem nouum Pietatis institui curauit, ac collegium puellarum, quę dicuntur Episcopi, erexit; illamque partem Episcopatus fabricauit, quę est versus viridarium; in Chronicis autem Magistrorum Generalium Ordinis Prędicatorum, quę habentur post volumen constitutionum eiusdem Ordinis, hęc de Aegidio dicuntur. Frater Aegidius Foscherarius à Iulio Tertio Episcopus Mutinę factus fidem Catholicam in ea Ciuitate sanctissimis exemplis, ac Catholica prędicatione pręstitit, vir pius, & doctus Aegidius vna cū Leonardo Marino Archiepiscopo Lācianēsi, & fratre Frācisco Forerio Lusitano celeberrimo Theologo Ordinis Prędicatorū electus fuit post Concilium ad Breuiariū, & Mißale Romanum reformandum, catechismumque selectissimum conficiendum, quod munus ipsi fideliter executi sūt multis laboribus, quorum multitudine, & grauitate preßus Aegidius, dum opere confecto iter adoritur, vrinę difficultate detentus, & affectus inter sex dies moritur, atque ad Mineruam elatus est, cuius sepulchro hæc inscriptio insculpta est.

Fratri

Fratri Aegidio Foscherario Bononiensi Ordinis Prædicatorum, Episcopo Mutinensi, religione, innocentia, liberalitate, præstantia, prudentia, ac scientia diuinarum rerum tanta, vt in publico Tridentino Concilio Patres in eius iudicio conquiescerent, qui Catechismo, Missali, & Breuiario, in quibus maximè omnium elaborauit, compositis, Romæ obdormiuit in Domino Anno 1564. die 23. Decembris. vixit annos 58. Frater Ferdinandus de Sancto Ambrosio memoriæ tanti viri obseruantissimus fecit 15. Cal. Octobris 1567.

Huius Episcopi tempore, idest de anno 1551. creatus fuit Cardinalis Frater Petrus Bertanus Episcopus Fanestris Ordinis Prædicatorum, qui de Anno 1558. obijt Romæ die 9. Martij.

IOANNES.

1564 *Ioannes Moronus iterum ob mortem Aegidij administrationem Episcopatus suscepit vigore regressus sibi ad illum reseruati, quam administrationem exercuit per octo annos, quid vero tunc temporis fecerit, iam diximus supra in eius vita, tandem vero de anno 1571. cessit Episcopatui ad fauorem Sixti Vicedomini affinis sui, &c.*

SIX-

SIXTVS.

1571 FRater Sixtus patria Nouocomensis ex familia nobilium de Vicedominis Ordinis Prædicatorum professus, fuit vir doctissimus, & in annunciando diuino verbo multa præditus gratia, quod officium præstitit per biennium Mutinæ, dum fungeretur officio Canonici lectoris pro Prabenda ad hunc vsum destinata ex Concilij Tridentini decreto, nullus enim reperiebatur clericus sæcularis ad id muneris idoneus. Factus postmodum Episcopus in principio sui Præsulatus verbum Dei magno populi concursu prædicabat, synodumque habuit, in quo plura decreta Ecclesiæ vtilia confecit, Constitutionesque prouinciales Rauennæ publicauit, Ecclesiamque magna cum solicitudine administrabat; cessauit postea, diuinisque officijs in Ecclesia Cathedrali raró aderat, adeo quod ipsa penè derelicta videbatur, ipsaque diuina officia cursim, & cum nulla deuotione celebrabantur in Ecclesia; vir erat difficilis conuersationis; vitæ solitariæ deditus, familiæ molestus, maioremque anni partem in alpibus consumebat; De anno 1581. missus fuit ab Alphonso Secundo Ferrariæ Duce V. ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem, vbi officio Oratoris per annum functus est, quo tempore cum per Christophorum Archiepiscopum Rauennæ habita fuisset Synodus Prouintialis de anno 1582 ipse non potuit interesse, sed illi interfuit per procuratorem, qui fuit Ioannes Baptista Valentinus Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ Canonicus. Reuersus postea ad Ecclesiam, cum Monasterium Mulierum conuersarum multis dissidijs laborans inuenisset, illarum partem ad Parochialem Ecclesiam Diui Marci transtulit, dato illis Diui Dominici habitu, quæ hucusque nullam emiserunt professionem, id non permittente Pontifice, cum non habeant, vndè viuant, nō tamen male audiunt in Ciuitate, & viuunt ex operibus manuum suarum, & ex piorum eleemosynis; ipse etiam instituit duas mulierum Congregationes sub habitu Diui Dominici, alteram de anno 1580. in alpibus sub inuocatione sanctæ Catherinæ de Senis in loco Fluminis albi Diœcesis Mutinensis, quo loci per æstiuum tempus conuenire solebat; alteram in loco Montis creti in montibus eiusdem Diœcesis sub inuocatione, & protectione sancti Dominici. Sub hoc Episcopo de anno 1588. fratres sancti Francisci de Paula habuerunt Parochiam sancti Barnabæ in Ciuitate, quam in monasterium erexerunt; Et de anno 1587. cum Commune Mutinæ compleuisset fabricam Turris, quam magna impensa reparauit, præsertim in ea parte, quæ est à quadro sursū, in eiusq;

culmine

culmine Crux, & aureum pomum reponenda essent, decimo tertio Cal. Iunij facta Crucis benedictione solemni pompa campanarum tubarum, aliorumque instrumentorum bellicorum sonitu reposita fuit Crux, & Pomum, vbi nunc sunt, in qua actione illud mirum accidit, dum sacerdotes vna cum populo super armamenta fabricæ incederent ad hoc peragendum, magna tempestas, densissimæ nebulæ, & ingens ventorum vis exorta est, adeo quod eleuarentur ab impetu procellarum armamenti tabulæ, & vltra forum per aera deferrentur, nullus tamen aliquod detrimentum passus est, peractaque à Sacerdotibus illa actione statim cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna, Cœlumque apparuit serenum, clamantibus omnibus, & dicentibus, Opera Dęmonis exortas fuisse illas procellas, vt impediret dicta Crucis erectionem. Quare decretum est, quod quotannis eodem die celebretur Officium exaltationis sanctæ Crucis, & in Calendarium referatur vna cum alijs eiusdem Ecclesiæ solemnitatibus. Benedictionem Crucis fecit Sixtus Episcopus, Innocentius autem Foscherius eius Vicarius eam in culmine reposuit. Tandem cum multa in vltimis sui Pręsulatus annis ei aduersa occurrissent, quæ longum esset recensere, aduersa valetudine obijt de anno 1590. die 27 Septembris, cum vixisset Episcopus annis decem, & nouem, sepultus in Aede Dominicana in pauimento Ecclesiæ antæe altare maius, vbi sibi viuens sepulturam elegerat, cuius sepulchro hoc Epitaphium insculptum est.

Xysto Vicedomino Nouocomen. è Cœnobio Dominicano ad Episcop.Mut. Delect. Io. Moroni sapientis. Card.euecto,in quo per annos 19 .Mēses. . . . Dies. . . . Administra. incredibilis doctrinæ,atq; integrit.specimenpræbuit,nec nō Io:Baptistæ honestiss. Eq. SS. Laz.acMaur: eorumdem Equitum per totam Insubriam Receptori, vt vocant. Rodoricus Eques Fr. amātiss.Opt.Frat. P. C. vjx. Eps Ann. Decem & nouem.

IVLIVS.

1591 MOrtuo Sixto successit Iulius patria Ferrariensis ex nobili Cananiorum familia, qui de anno 1550. inseruiuit Secretariæ Iulij Tertij Pontificis Maximi, ab eodemque de anno 1555. fuit creatus Episcopus Adriensis, quam Ecclesiam per plures annos administrauit, & de anno 1582. fuit creatus Cardinalis à Gregorio Decimotertio, sic instante, & procurante Alphonso Secundo Duce Ferrariæ Quinto, & postea de anno 1583. à Sixto Quinto Pontifice Maximo fuit destinatus à latere Legatus ad Prouinciam Romandiolæ contra exules tunc statum Ecclesiasticum valde infestantes, quod munus egregie per annum executus est. Demum de anno 1591. à Gregorio Decimoquarto nuper creato Pontifice fuit translatus ab Ecclesia Adriensi ad Mutinensem; vir erat multum curialis, morumque curiæ apprimè eruditus, in dicendo liber, pronus ad iram, homo primi impetus, zelo plenus, & iustitiæ cultor, quod ei magnum amorem populorum Romandiolæ conciliauerat; semel inuisit Ecclesiam Mutinensem de anno 1592. ibique per duos menses in circa permansit, visitando Ecclesias Ciuitatis, & aliquas etiam Parochias in Diœcesi; Chorum Ecclesiæ maioris, vt in melius reformaret, demolitus est, sed morte præuentus, quod decreuerat, exequi non potuit; reuersus postea Ferrariam cum in grauem febrim incidisset, ex ea obijt die 27. Nouembris 1592. anno suæ ætatis septuagesimo, sepultus in sacristia fratrum sancti Dominici Ferrariæ.

FINIS.

QVAE SEQVVNTVR SVNT

Functiones præcipuæ Episcoporum.

EDICTVM
PRO VISITATIONE.

N. Dei, & Apostolicę sedis gratia Episcopus N. R. (hic cadit nomen primæ dignitatis) Ecclesiæ nostræ Cathedralis, necnon alijs dignitates in dicta Ecclesia obtinentibus Canonicis, Mansionarijs, Præbendarijs, & alijs quomodolibet in dicta Ecclesia Beneficiatis, necnon vniuersis Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Canonicis, Mansionarijs, & Prębendarijs quarumcumque Ecclesiarum Collegiatarum eiusdem Ciuitatis, & Diœcesis, Archipręsbyteris, Plebanis, Parochis, seu Capellanis quarumcumque Parochialium, vel aliarum quarumuis Ecclesiarum, & piorum locorum, etiam Hospitalium, & Montium pietatis, tam in ciuitate, quam in Diœcesi existentium Administratoribus, Rectoribus confraternitatum, & alijs etiam laicis, quos infrascriptum negocium tangit, vel quomodolibet tangere potest, salutem in Domino sempiternam. Memoria sæpius nobiscum repetentes, quam graue onus sustineamus, qui curam huius populi custodię nostrę concrediti gerimus, non possumus non ea omnia intentare, per quę saluti animarum ipsius consultum fore credamus, ne Dominus Noster Iesus Christus in extremo illo tremendo Iudicij die de manibus nostris sanguinem harum ouium ob incuriam nostram deperditarum requirat. Inter alia autem, quę maxime ad continendum in obedientia clerum, & populum conferre dignoscuntur, pręcipuum semper sibi vindicauit locum frequens, ac diligens tam cleri, quam populi per Pastorem facta visitatio, si ad exemplum Saluatoris nostri circumeat Ciuitatem, & castella docens, & curans languores, & infirmitates subditorum. Hinc nos volentes quantum cum Deo possumus hanc Domini nostri admonitionem exequi decreuimus feria . . . proximè sequenti, quæ erit dies . . Mensis . . hora . . . incipere Visitationem

tionem nostram ab Ecclesia Cathedrali, & eam prosequi in alijs Ecclesiis, & locis ditioni nostræ subiectis, quoadusque omnia diligenter perlustrauerimus. Quare vobis . . . & alijs supradictis in Ecclesia nostra Benefitiatis in virtute sanctæ obedientiæ harum nostrarum literarum tenore præcipimus, & mandamus, quatenus dicta . . feria, & hora debeatis cum superpelliceis, & almutijs vestris in Ecclesia prædicta adeße pro his peragendis, & recipiendis, quæ nobis in dicta Visitatione neceßaria, & opportuna pro bono eius Ecclesiæ regimine videbuntur, vobis etiam Abbatibus, & alijs superius nominatis sub eadem pœna mandamus, quatenus diebus, & horis alias vobis nomine nostro intimandis debeatis in Ecclesiis vestris, ac beneficijs, seu locis pijs adeße pro ijs recipiendis, & exequendis, quæ percipienda, & exequenda in Ecclesiis vestris, ac beneficijs, seu pijs locis iudicauerimus, alias cõtra vos, & quemlibet vestrum procedemus ad pœnas à iure, & sacris Canonibus contra huiusmodi contemptores impositas, & alias arbitrio nostro imponendas. In quorum fidem has nostras fieri, & per Cancellarium nostrum subscribi, & nostri soliti sigilli impreßione muniri fecimus ad valuasq; patentiores Ecclesię, & alia loca consueta affigi mandauimus.

Dat. . . . . . . Anno Natiuitatis D. N. Iesu Christi . . . die . . . mensis . . . . . Pontificatus autem S. D. N. D. . . . . Diuina prouidentia Papæ . . . . . anno . . . .

PRO VISITATIONE CIVITATIS, ET DIOECESIS,

& primo

PRO VISITATIONE CATHEDRALIS.

ANTEQVAM Cathedralis visitatio incipiatur, infrascripta Visitatori exhibeantur, videlicet

Bullæ omnes, siue instrumenta omnium Ecclesiarum, seu piorum locorum, quæ à quadraginta annis citra Capitulo vnita sunt.

Liber Constitutionum capitularium, & Collegij, si quod est in Ecclesia, quæ in viridi sint obseruantia.

Liber

Liber, in quo redditus, & expensæ Capituli, seu collegij, si quod in Ecclesia est, descripta sint.

Liber, in quo resignationes, admissiones, collationes, & prouisiones beneficiorum Ecclesiasticorum ad capitulum spectantium, descripta sunt, si adest.

Liber, in quo redditus, & expensæ fabricæ continentur.

Notula bonorum mobilium Sacristiæ.

Bullę, quæ collationem continent, seu prouisionem Canonicorum, & omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ canonici, Capellani, alijq; eidem Ecclesiæ inseruientes possident.

Quo facto, & omnibus diligenter præuisis incipienda erit visitatio ipsius Cathedralis Ecclesiæ à Capitulo, pro cuius visitatione infrascripta requirenda sunt.

PRimo interrogentur personæ de Capitulo, de numero dignitatum, & Præbendarum ipsius Capituli, ac earum redditunm, & in quibus consistant. Videndum est etiam, an rectè, & secundum formam iuris fuerint de dictis dignitatibus, & Canonicatibus prouisi, & ideo diligenter inspiciendæ sunt prouisiones ipsorum.

Interrogentur quomodo sedeant in Choro, & in Capitulo, an secundum ordines ipsorum, vel tempus admissionis.

Inquirendũ etiam est, an eorum Præbẽdę diuisæ sint ut alię præsbyterales, alię diaconales, aliæ subdiaconales existant, & an quilibet habeat ordinem Præbendæ suæ annexum.

In quibus consistant redditus maßæ Capitularis, & etiam Præbendarum.

An aliquid recipiatur pro admissione Canonicorum.

An habeant Parochiales eorum Capitulo vnitas, videantur vniones, an rectè, & secundum formam concilij Tridentini sint.

An in eis habeant Vicarium, & quomodo eis deseruiatur.

An subeant onera, siquæ sunt, dignitatibus, & Canonicatibus suis in ipsorum fundatione imposita, & ideo diligenter inspiciantur fundationes, si adsunt.

An omnes resideant iuxta decreta Concilij Tridentini, & an in ædibus Canonicalibus; non residentes legitime moneantur, inobedientesq; iuxta eiusdem Concilij dispositionem puniantur.

An aliquas fecerint alienationes bonorum capituli, vel aliorum beneficiorum suorum, & videatur quomodo.

An permittant aliquem confessiones in ipsorum Ecclesia audire, qui ad audiendas confessiones non fuerit admißus à Reuerendissimo Domino.

An immunitas Ecclesiastica per officiales laicos eis seruetur.

An permittant laicos in Ecclesia congregationes, concilia, seu parlamenta habere.

An in porticu, seu vestibulo Ecclesiæ aliqua vendi permittantur.

An deambulationes in Ecclesia fiant tempore diuinorum officiorum, & an obseruari curent Constitutionem Pij quinti circa hoc, quæ hoc onus Capitulis imponit.

An aliquis occupet bona capituli, vel beneficiorum suorum.

Circa habitum ipsorum inquirarur.

AN decenti habitu tam in Ecclesia, quam extra eam assidue vtantur.

An vestes sericeas deferant.

An camisias ad collum, vel ad manus crispas.

An tonsuram visibilem.

An superpelliceum, & almutias in celebratione officiorum, vel mortorijs deferant.

Circa personas Capituli requirendum est.

AN sint lusores, blasphemi, & abstineant à choreis, & illicitis venationibus.

An in die cœnæ Domini omnes ab Episcopo communicentur, an Canonici non sacerdotes frequenter Eucharistiam sumant.

An arma deferant.

An nocte sine causa per Vrbem vagentur.

An inter ipsos adsint aliquæ rixæ, & lites, & ab eis intelligatur, an alias legitime per sententiam terminatæ fuerint, & terminatio obseruetur, alias si non fuerint terminatæ amicabiliter, si fieri potest, componantur, alioquin iudicialiter quam citius terminentur.

An penes se retineant fœminas suspectas, & retinentes eas omnino expellere cogantur.

An erecta fuerit Præbenda Theologalis, & Pœnitentiaria, & an eas obtinentes suum munus exequantur, & quomodo, & quando.

An capitulum exerceat aliquam iurisdictionem, & quam, & per quem.

An habeat archiuium, & bibliothecam.

An priuilegia, & scripturę ad Capitulum pertinentes registratę sint in libro ad hunc vsum parato.

An Capitulum habeat collationem, seu prouisionem beneficiorum, & quis modus in prouidendo obseruetur.

An contractus, & alię res graues capituli fiant per vota secreta.

An tempore diuinorum officiorum, vel diebus festis Capitulum habeant, & an in eo habendo obseruent constitutiones synodales.

An certa die ad Capitulum conueniant, & an lucrum accedentibus, vel pœna non intereßentibus constituta sit.

An antequam quicquam tractent in Capitnlo, oratio de spiritu sancto recitetur, & eo absoluto gratiarum actiones habeantur.

Quæ in Capitulo tractentur.

An admittant ad vocem in Capitulo eum, qui non sit subdiaconus, & ad quam partem distributionum.

An obtineant beneficia incompatibilia sine dispensatione legitima, & dispensationes exhibeant.

Quomodo diuidantur inter eos distributiones quotidianæ.

Quis eligat punctatorem.

An iuramentum præstet, & statis diebus punctationum rationem ordinario reddat, & quid obseruet in officio suo.

An qui statis horis non interfuerint, eas percipiant contra constitutionem Bonifacij Octaui, quæ incipit, consuetudinem de clericis non residentibus in sexto innouatam à Concilio Tridentino, & quibus anni temporibus diuidantur, & quę ratio in eis diuidendis obseruetur.

An prouisi de dignitatibus, & canonicatibus post concilium Tridentinum non solum coram Reuerendissimo Domino Episcopo, vel eius officiali publicam suæ orthodoxæ fidei professionem fecerint, sed etiam in capitulo id peregerint iuxta decretum dicti concilij, alioquin fructus suos non fecerunt.

An officia diuina omnes per se, & non per substitutum obeant.

An fecerint inuentaria bonorum beneficiorum suorum, & ea cancellario Episcopatus tradant.

An alias visitati fuerint, & decreta in visitatione executioni mandauerint.

An capitulum habeat procuratorem, & an iuret de officio fideliter exercendo, & an alios officiales, & per quos approbentur.

An

Circa officia, & ſtudia eorum inquirendum erit.

AN ſtudeant, & quos libros habeant, & inſpiciantur, an adſint aliqui ex prohibitis in Indice, vel alias ſuſpecti.

An ſciant aliquem hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum.

An conciones, & lectiones debitis temporibus audiant, & quatenus id non pe ragant, admoneantur, & quando in Eccleſia prædicetur, & quis prouideat de concionatore.

An in Eccleſia quandoq; matutinum celebrent in ſero.

An officium diurnum, pariterq; nocturnum pauſatim, ac deuote celebrent iuxta formam noui Breuiarij.

An officium Beatæ Virginis celebretur in Choro, & de eo habeatur ratio in punctatione, & quomodo, an ſcilicet faciat vnum punctum indiuiſibilem cũ officio magno Domini.

An miſsas celebrent iuxta ritum noui Miſſalis, & horis in eodem Miſsali præſcriptis.

An quandoque omittunt miſſam, quæ occurrit ſiue de feſto, ſiue de feria pro miſſa defunctorum canenda, & quid obſeruent in ferijs quadrageſimæ, & Aduentus, quando incidit feſtum duplex.

Qui officiales ſint in Choro, qui eidem inſeruiant, & quod eorum nomen, & officium, & an debita præſtent ſeruitia, & præſertim punctator.

Quomodo ad Chorum conueniant, & an Chorus clericorum ſit ſeparatus à locis laicorum.

An priuatim in Choro celebrent officium.

An per chorum vagentur.

An literas alicubi ſcriptas in Choro legant.

An obſeruentur Conſtitutiones capitulares, ſiquæ ſint.

An executioni mandentur piæ fidelium voluntates pro legatis pijs ipſi capitulo factis.

Demum moneantur, vt tam in Eccleſia, quam extra eam honeſte ſe habeant, cum enim ipſi Eccleſiæ ſenatus dicantur, & aliorum norma clericorum, quod ab ipſis committitur, facile trahitur ab alijs in exemplum.

Peracta

Peracta Capituli visitatione, visitabuntur Mansionarij, & Prębendarij, alijq; clerici Ecclesiæ inseruientes, pro quorum visitatione erit inquirendum.

AN ipsi munia sua per se, & non per substitutos obeant.
An obseruentur ea, quæ ex fundationibus beneficiorum suorum ipsis incumbunt, ipsæq; fundationes diligenter inspiciantur, ac prouisiones ipsorum, an sint legitimæ.
An fecerint inuentarium bonorum suorum, & illud tradant.
Quomodo percipiant distributiones.
An contra allegatam Constitutionem Bonifacij octaui.
Inquiratur postea de vita eorum, an lusores, an concubinarij, vel de incontinentia suspecti.
An deferant habitum professioni suæ conuenientem.
An nocte sine causa per Vrbem vagentur.
Quos libros legant, & inspiciantur, an adsint aliqui probibiti.
An sciant aliquem hęreticum vel de hæresi suspectum.
An confessiones audiant, & de cuius licentia.
An aliquas fecerint alienationes bonorum beneficiorum suorum.
An aliqui bona beneficiorum suorum occupent, vel vsurpent.
An sciant aliqua legata pia non exacta.
An obtineant aliquas Parochiales, & quis eis deseruiat.
An habeant aliqua beneficia incompatibilia, & exhibeant dispensationes, & Instrumenta ordinum.

Quo facto inuisenda erunt sacramenta, & in primis sanctissimum Eucharistię sacramentum, circa quod videndum erit.

AN in loco, & tabernaculo conuenienti asseruetur, an sub fida clauium custodia.
An continue lampas teneatur circa ipsum accensa, quæ sit decens.

An frequenter mutetur, & quot particulæ aßeruentur.
Quis de oleo prouideat.
An adsit scabellum competens pro genuflexione, & oratione.
An adsit velum & vmbella etiam supra tabernaculum.
An clauis, & sera bene firma.
An intus foderatum; & extra bene auratum.
An adsit mensa decens, & longa pro communione.
An tabernaculi clauis semper apud Parochum maneat.
Custodia in hebdomada sancta quomodo fiat, vbi, quo apparatu, qua luminum copia, qua vigilantia, & in quo vase.
Quomodo ad infirmos deferatur, an cum vmbella luminibus, & campanella præcedente, & pluuiali.
An detur signum campanę.
An adsit societas sanctißimi Corporis Christi, quæ ipsum aßociet, & an habeat aliqua capitula, & ea obseruet, quod regimen, qui officiales, qui redditus.
An reddatur ratio administrationis, quæ expensæ, quæ legata, aut obligationes.
Quomodo de cera prouideatur.
Quomodo populo ministretur.
An cum superpelliceo, stola, & luminaribus debitis.
An ad altare ad hoc destinatum.
An præmißa generali, & publica confeßione.
An in generali administratione sacramenti habeatur sermo ad populum, & quibus verbis vtatur.
An adsit clericus cum superpelliceo.
An vas diuersum à Calice ad oris ablutionem.
An adsit sudariolum ad abstergendum os.
An ministretur separatis fœminis à viris, an promiscue.
Quomodo ministretur in Pascha, dum omnes accedere debent, quem modum obseruet ad habendum notitiam non communicantium, an propter hoc teßera, vel chirographum detur.
Quomodo instruat illos, qui primo hoc sanctißimum sacramentum suscipiunt.
An scribantur communicantes.
An in Paschatę admittantur exteri, & qua cautela.
An admittantur excommunicati, & publici peccatores.
In deferendo illud ad infirmos, an cum vna, vel pluribus particulis.
An eundo, & redeundo recitentur aliquę preces, & quæ.

In

In ingressu domus, & cubiculi infirmi quid fiat, & quis modus ministrandi.

An roget astantes, vt orent pro infirmo.

An abluat digitos post ministratam eucharistiam, & præbeatur infirmo, & in quo vase.

An moneatur infirmus, vt ex intimis doleat de commissis, & caueat a futuris.

An pro pauperibus infirmis sit pannus decens pro administratione eucharistiæ.

An reuersus populo aßocianti benedicat, & indulgentias annunciet.

Quomodo in processione deferatur, an cum vmbella, luminaribus, & alijs neceßarijs, & in vase accommodato, vt videri possit.

An destinatæ viæ sint mundæ.

An fiant laruæ.

An adhibeantur panni lasciui, vel figuræ, vel aliud indecens.

An aliqua superstitio, vel irreuerentia in comitando, & in processione fiant colloquia.

An claudantur officinæ, quæ orationes, & preces dicantur in processione.

An inter eundum alicubi reponatur.

Deinde videndum erit baptisma, circa quod inquirendum.

QVomodo mundè teneatur, & in loco conspicuo, & decenti, & aduertatur, an vas fuerit sepulchrum gentilium.

An in vase decenti, lapideo, stabili, eleuato, & integro, & cancellis saltem ligneis circundato.

An sub clauibus, & apud quem maneant.

An ministretur rectè, & requiratur quomodo, & an in Ecclesia tantum, & cum superpelliceo, libro, & alijs neceßarijs.

An indistinctè sub illa forma, si non es baptizatus.

An requiratur ab obstetricibus si fuerint domi baptizati, & quomodo.

An aliquid exigatur pro ministratione ipsius.

An adsit liber, in quo baptizatorum nomina describantur vna cum nominibus compatrum.

An permittantur plures, quam vnus, vel vna, aut ad summum vnus, & vna leuare infantes de fonte baptismi.

An moneantur compatres, quam cognationem contrahant vigore huius sacramenti, & ad quæ infantibus teneantur.

An moneantur parentes infantis, ne intra tempus à Constitutionibus præscriptum ipsum infantem secum in lecto teneant ob periculum oppressionis.

An aqua suis temporibus renouetur, & vetus in sacrario effundatur.

An sal adhibeatur benedictum, an mutetur, an detur laicis.

An singulis annis mutentur olea ad baptismum necessaria, & quid de veteribus agatur, an in lampadibus comburantur.

An vnquam dentur alicui pro medicina, vel maleficio.

An examinentur obstetrices circa formam baptismi, & si nesciant, doceant patria lingua.

An moneantur mulieres, ne baptizent domi, quando adest vir, vel dignior.

An compatres admittantur sine delectu ætatis, & morum.

An regulares, & nescientes rudimenta fidei.

An puerperæ benedictionem accipiant, & quomodo illa fiat, & an Parochus aliquid pro ea accipiat.

Postremo moneatur Parochus, vt gratis, & summa cum deuotione, ac sinceritate sacramentum hoc administret, intendens hominem regenerare in Christo, & id peragere, quod prætendit Ecclesia; & aliquando, si est idoneus, cæremonias declaret populo.

Inuisenda postea erunt olea sacra, circa quę videndum erit:

AN in vase decenti custodiantur, & quo in loco teneantur, an scilicet aperto, decenti, clauso, & tuto.

Quomodo ad laicos deferantur.

An vas olei infirmorum sit ab alijs separatum.

An renouata fuerint debito tempore, & vetusta combusta.

An quando pro vngendis infirmis ad domos laicorum deferuntur, relinquantur in loco, vbi possit temeraria manus ad illa extendi, & super hoc moneantur, nam nefarij homines his oleis, vt vsu sæpe compertum est, vtuntur ad diuinationes, sortilegia, & alia maleficia perpetranda.

An bombix, quo vnctiones exterguntur, per sacerdotes comburatur, vel in manibus laicorum relinquatur.

An in ministrando extremæ vnctionis sacramento, ea obseruentur, quæ synodalibus Constitutionibus obseruari mandantur.

An deferatur ad infirmos cum superpelliceo, & stola, & capite aperto cum clerico, & lumine.

An cum sericea bursa.

An gratis ministretur, & prompte quandocunq; petatur.

An ministretur cum approbato libro iuxta formam in eo descriptam.

Postremo moneatur Parochus, vt ægrotantium animæ commendationi, quantum fieri potest, assistat, & quandoque populo cæremonias in ministratione huius sacramenti adhiberi solitas, si idoneus est, declaret, vt sciatur, quid ægrotis hoc sacramentum prosit.

Perspectis diligenter Sacramentis visitandæ erunt Capellæ, si quæ adsunt, & altaria ipsius Ecclesiæ, circa quę videbuntur

AN rectores dictarum Capellarum, siue altarium de eis legitime fuerint prouisi, & prouisiones suas exhibebunt.

An sustineantur onera ipsis Capellis, vel altaribus in eorum fundatione, vel alias imposita, & ea ipse Reuerendissimus Dominus *obseruari mandabit, quatenus negligerentur.*

Videbit etiam, an ipsa altaria munda teneãtur cum palijs, & tobaleis, & alijs vestibus necessarijs, de quibus in instructionibus.

An Capellæ sint decrustatæ, & sine picturis, & curabit per eos, ad quos spectat, his omnibus prouideri.

Inuentaria etiam tam bonorum mobilium, quam immobilium dictarum Capellarum, & altarium sibi tradere faciet.

Inquiret etiam, an bona dictarum Capellarum, vel altarium ab aliquo occupentur.

An alienationes aliquæ dictarum Capellarum, seu altarium factæ sint.

An immunitas Ecclesiastica per officiales laicos eis seruetur, vel aliqua grauamina inferantur.

An altaria sint lignea, vel lapidea.

An consecrata, vel non.

An in non consecratis celebretur, sine altari portatili.
An super altare maius adsit vmbella.
An altaria fabricata sint super sepulchris cadauerum.

Visitabitur postea Sacristia, & primo requiretur

AN habeat aliqua bona, & per quos administrentur, & quis de necessarijs prouideat.
An paramenta munda, & nitida teneantur.
An corporalia, & purificatoria sint decentia.
An patenæ, & calices conuenientes.
An Missæ celebrentur debitis horis, & secundum modum præscriptum à Reuerendissimo Domino.
An quotidie cantetur Missa de sancto, vel de feria, prout currit, an vero quandoq; relinquatur pro missa defunctorum canenda.
An in celebrationibus missarum colligantur eleemosynæ contra constitutionem Synodalem.
Quæretur etiam de inuentario bonorum dictæ sacristiæ, & illud curabit quam primum tradi Cancellario Episcopatus.

Si adsunt reliquiæ, inquiretur

QVænam sint, an aliquis abusus irrepserit in eis populo ostendendis, & corrigatur.
An relinquantur in manibus laicorum.
An de suis capsulis amoueantur, quæ capsulæ, an sit decentes, vt in instructionibus.
An in loco decenti asseruentur, non humido, sed separato, conspicuo, mundo, clauso, & tuto.
An authentica aliqua scriptura habeatur.
An ostendantur populo festis diebus illorum Sanctorum, quorum reliquiæ sunt, & in ostendendo aduertatur, ne amoueantur à capsulis, & dicatur hymnus sancti.
An ante eas stet lumen iuxta facultates Ecclesiæ.
An reliquiæ certæ, & recognitæ sint.
An in earum veneratione aliquis irrepserit abusus, & tollatur.

Si adest

Si adest fabrica Ecclesię, videbit ipse Reuerendissimus Dominus, quos redditus habeat

AN in reparatione Ecclesiæ expendantur.
Qui sint administratores ipsius fabricæ.
An singulo anno rationem suæ administrationis reddiderunt **Reuerendissimo Domino Episcopo.**
Videbuntur computa ipsius Ecclesiæ.

Visitabitur postea domus Canonica, inquireturque, qui in ea habitent, an fœminæ, vel laici

AN munda teneatur.
An reparatione egeat, & ipsam infra certum tempus reparari mandabitur.
Si Ecclesia Cathedralis habeat curam animarum, ipse Reuerendissimus Dominus Parochum alloquetur, an mercenarius, an verò principalis sit.
Si mercenarius sit, ab eo requiratur, cuius auctoritate constitutus sit, & an cura sit Capituli, vel alicuius priuati Canonici.
Si vero principalis ipsum prouisionem suam exhibere faciat, & instrumenta ordinum suorum, & inuentarium bonorum beneficij sui.
Requiretur etiam num caleat omnia, quæ ad officium suum spectant, vt videatur, an egeat coadiutore, interrogeturque præsertim de forma Sacramentorum, & ritu ea administrandi.
An illi necessarius, & honestus victus suppetat, ne ob paupertatem indigna, & nefaria aliqua in Sacramentorum administratione committat.
Requiretur etiam, quomodo se habeat populus, an obediens, vel inobediens sit.
An omnes hoc anno confessi sint, & inconfessi notentur pro ipsis monendis.
An adsint aliqui publice criminosi, veluti vsurarij, concubinarij, blasphemi, tenentes baratarias in domibus suis, sortilegi, malefici, & alij huiusmodi, & quatenus tales adsint, notentur pro ijs monendis, & coercendis.
Requiratur etiam, an adsit aliquis in Parochia hæreticus, vel de hæresi suspectus, vel schismaticus, vel habens in domo libros prohibitos, vel ipsos le-

sos legens, vel dißeminans.

An immunitas Ecclesiastica per Officiales laicos, vel alios quomodolibet violetur, & grauamina aliqua personis Ecclesiasticis, vel ipsorum bonis imponantur.

An aliqua beneficia incompatibilia obtineat, & dispensationem exhibeat.

An adsint aliqua legata pia Ecclesiæ facta, & non exacta.

An bona Ecclesiæ ab aliquo occupentur.

An adsint matrimonia contracta in gradu probibito, vel contra formam Concilij Tridentini.

An ipse publicet in Ecclesia tribus diebus festiuis matrimonia inter ipsos Parochianos contrahenda.

An habeat librum, in quo contrahentium, ac testium nomina scribat.

An in contractu matrimonij testes adhibeat, vel solus interueniat.

Quibus verbis in contractu matrimonij vtatur.

An censuræ Ecclesiasticæ in ipsius Parochia contemnantur.

An festa de præcepto, & ieiunia Ecclesiastica obseruentur.

Quos libros habeat, an aliquos prohibitos.

Quomodo ministret sacramentum pænitentiæ, an in eo ministrando obseruet Constitutiones Synodales.

An publicet decreta illa statis diebus vigore Constitutionum synodalium publicanda.

An populus eius adeo numerosus sit, vt vnus sacerdos Curæ ipsius satis non sit, & prouideatur iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 21. c. 4.

Interrogabitur etiam Parochus de pręcipuis peccatis populi, vt ea possint postea per concionatores acrius reprehendi, & detestari.

An fiant deambulationes per Ecclesiam tempore diuinorum officiorum.

An laici habeant congregationes, parlamenta, & Concilia in Ecclesia.

An in porticu, vel vestibulo Ecclesię aliqua vendantur, vel alia illicita committantur.

An in singulis hebdomadis conueniant pro his peragendis, quæ Synodalibus decretis eis iniunguntur, & quatenus circa hoc desides sint, corripiantur.

E contra ab aliquibus viris pijs Parochiæ requiratur.

Quomodo se habeat Parochus in administratione Sacramentorum, an aliquid pro ijs administrandis exigat.

An

An negligens sit in ipsorum administratione.
An permiserit aliquos mori sine Sacramentis.
An colligantur eleemosynæ in vasa contra formam Constitutionis *synodalis.*
An in mortuarijs, & anniuersarijs se nimis auarum ostendat.
An fecerit aliquas alienationes bonorum Ecclesiæ.
Quomodo dispensentur redditus Ecclesiæ, *an in malis vsibus.*
Quam familiam habeat.
An personas inhonestas penes se habeat, vel cum ijs conuersetur.

De vita, & moribus ipsius inquiratur.

AN scilicet lusor, blasphemus, concubinarius, ebrius, & huiusmodi criminibus irretitus sit.
An singulis festiuis diebus populo declaret Euangelium, *purosq; Parochiæ statis diebus fidei rudimenta doceat.*
Quomodo conseruet sacramenta.
An det aliquod scandalum.
An Ecclesia, vel domus canonica reparatione egeat, monebitq; ipsos, vt omni humana affectione deposita verum ipsi Reuerendissimo Domino deferant, vt de opportuno remedio prouideri possit.
Videatur postea cœmeterium, an sit apertum, adeo quod brutis sit peruium, & quatenus apertum sit, mandabitur per homines Parochiæ ipsum claudi, cum onus huiusmodi ad ipsos spectet, alias sepultura in dicto cœmeterio interdicatur.
An in Ecclesia *aliqui sepeliantur.*
An adsint monumenta eleuata.

PRO VISITATIONE ECCLESIArum Collegiatarum.

PERACTA visitatione Cathedralis Ecclesiæ, visitabuntur Collegiatæ, & primo visitabitur Capitulum, pro cuius visitatione videnda erunt, quę in visitatione Capituli Cathedralis dicta sunt, præter id, quod dictum est de professione orthodoxæ fidei in Capitulo faciendæ per eos, qui post concilium Tridentinum de dignitatibus, ac Canonicatibus prouisi sunt, quia id tantum habet locum in prouisis in Cathedralibus, vt in decreto Concilij.

In visitatione Sacramentorum Collegiatæ seruentur ea, quæ supra in visitatione Sacramentorum Cathedralis tradidimus.

Circa visitationem Altarium, ac capellarum Sacristiæ, Domus Canonicæ, ac Cœmeterij Ecclesiæ Collegiatæ ea inquirenda erunt, quæ supra in visitatione Capellarum, Altarium, Sacristiæ, Domus Canonicæ, ac Cœmeterij Cathedralis dicta sunt.

Si Collegiata habeat curam animarum in visitatione ipsius circa Sacramentorum administrationem, & conseruationem, vitam, & mores Parochi, & populi ea respectiuè requirantur, quæ supra in visitatione Parochiæ Cathedralis tradita sunt.

PRO VISITATIONE Monialium.

POST peractam Colleggiatarum Ecclesiarum visitationem, visitanda sunt monasteria Monialium, & primò interrogandi sunt, qui monasterio præsunt.

Quomodo obseruetur regula, quã ipsæ moniales professæ sunt, & moneantur ad ipsius obseruantiam certò scientes ab eis non posse ea, quæ ad substantiam vitæ Regularis pertinent, relaxari.

Requiratur etiam, an obseruentur Constitutiones dictis monialibus traditæ per Reuerendissimum Dominum in visitatione.

An viuant in communi.

An proprium habeant etiam mobile ad vsum sine licentia superioris.

An literas alicui extra monasterium scribant sine licentia Abbatissæ.

Item an literas ab ijs, qui extra monasterium sunt, scriptas sine licentia, & scientia eiusdem Abbatissæ recipiant.

An in proprijs dormiant cellulis, vel in communi dormitorio.

An penes sè aliqua habeant, quæ Regularem personam dedeceant.

An in monasterio recipiantur plures, quam ex redditibus ipsius monasterij, vel consuetis eleemosynis sustentari valeant, & ideo diligenter examinentur redditus, & consuetæ ipsius monasterij eleemosinæ, & certus numerus præfigatur.

An aliquam receperint ad professionem absque licentia, & examine præuio ipsius Reuerendissimi Domini, vel eius Vicarij.

An aliquid receperint ab aliquo parente, consanguineo, vel curatore alicuius puellę, quę regularem habitum in ipsorum monasterio susceptura sit.

An admissus fuerit aliquis ad colloquendum cum aliqua moniali sine licentia ipsius Reuerendissimi Domini, vel eius Vicarij.

An sacramentum Eucharistię intra septa monasterij seruetur.

An permissum fuerit aliquam puellam emittere professionem ante decimum sextum annum.

An permittantur puellę, quę in monasterio sunt ad educandum, exire è mona-

sterio, & postea reuerti.

Inquiratur etiam, an Abbatissa omnes æqualiter, vti filias tractet.

An sit acceptatrix personarum.

An aliæ monasterij officiales diligenter munia sua obeant.

Quomodo dispensentur redditus monasterij, & computa videantur.

An adsit querela contra Abbatissam, vel alias officiales.

An Abbatissa Constitutiones singulo die faciat legere iuxta Constitutionem synodalem.

Inquiratur etiam an moniales obediant Abbatissæ, & rebelles, si quę sunt, comprimantur.

An inter moniales ipsas adsint rixæ, & contentiones, &, si fieri potest, componantur.

An fiant aliquæ pactiones inter ipsas moniales pro eligenda Abbatissa.

An pro habendis votis interueniat precium, vel inordinatę preces, vt fieri solet.

Inquiratur postea de capellano, & primo quis eum constituerit.

An, quando, & quomodo illis subministret sacramenta.

An clausuram ingrediatur, nisi necessitatis causa.

An ingrediens pro ministrandis sacramentis monialibus infirmis deferat superpelliceum, & stolam.

An ipsis verbum Dei festiuis præsertim diebus annunciet.

Super Conuersis inquiratur, an sint professæ, & si sunt professæ, an seruent clausuram iuxta Constitutionem Pij. Quinti, & quatenus non sint professæ, vel si professæ sint, fuerint tamen deputatæ ad colligendas eleemosynas monasterij, an degant in clausura monialium contra tenorem eiusdem Cōstitutionis.

Super clausura in monasterijs etiam exemptis inquiratur.

An aliqua monialis etiam ad breue tempus exierit è monasterio.

An ipsæ admiserint aliquem intra septa monasterij, & quem.

Quinam sint medici, & alij officiales ipsarum, cuius ætatis, & conuersationis sint.

An quando in casibus permissis aliquis ingreditur monasterium, ipsæ moniales se recipiant in aliquem locum, ne ab ingredientibus videri possint.

Visitentur postea rotæ, & ferreæ crates, inspiciantur que an tales, vt super ijs nulla suspicio haberi possit.

Idem fiat de parlatorijs.

Visitentur etiam portæ monasterij, an bonis clauibus obserentur.

An adsit aliquod ostium, per quod è monasterio in Ecclesiam eatur.

An per monasterij fenestras facile inspici possit super vias publicas, vel in ipsarum.

ipsarum monasterium à vicinis videatur, & prout melius fieri poterit, prouideatur.

DE VISITATIONE CONVERTITArum, orphanorum, & aliorum locorum piorum.

EXpleta monasteriorum monialium visitatione, visitabuntur monasteria Conuertitarum, & Domicellarum, si adsunt, & in primis videbitur.

Quisnam sit modus regiminis ipsarum.

An habeant aliquas ordinationes, & obseruentur.

Requiretur etiam à superioribus, an dictis locis aliquod adsit scandalum, quod egeat prouisione, auxilioque ipsius Reuerendissimi Domini.

An habeant aliquã bona, vel viuant de eleemosynis.

An habeant aliquos sindicos laicos.

An recte in officio suo se gerant.

Eadem inquirẽda erunt de collegio orphanorum, & orphanarum Ciuitatis, & de alijs huiusmodi operibus pijs.

PRO VISITATIONE ECCLESIArum Parochialium, & oratoriorum in eis consistentium.

DEractis ijs, quæ supra dicta sunt, visitandæ erunt Parochiales Ecclesiæ, pro quarum visitatione illa omnia recensenda sunt, quæ supra in visitatione Parochiæ cathedralis tam circa populum, quam Parochum dicta sunt.

Si sub Parochia adest aliquod oratorium, inquirendum est.

An ibi celebretur, quando, & per quem.

Quis ſit Rector dicti oratorij, & requiratur prouiſio, vt inſpici poſſit, an ſit legitima.

Quæ onera habeat illud oratorium, & an ſuſtineantur.

An egeat reparatione.

An ibi celebrans confeſſiones audiat, & de cuius licentia.

Requiratur inuentarium bonorum oratorij, & valor ipſius.

An bona oratorij ab aliquo occupentur.

An Rector fecerit aliquas alienationes bonorum oratorij.

PRO VISITATIONE Confraternitatum.

VIſitatis Eccleſijs Parochialibus viſitandæ ſunt Confraternitates laicorum, quas ſcholas vocant, & ibi inquiretur.

Quomodo gubernentur, & quis modus regiminis, & cuius auctoritate conſtitutæ ſint dictæ ſcholæ.

An aliquibus regantur Capitulis, & quis ea fecerit, vel confirmauerit, & an obſeruentur.

An habeant aliquos redditus, & quomodo diſpenſentur.

An habeant aliqua onera, & ſuſtineantur.

An inter Confratres ſint aliquæ diſcordiæ.

Quod officium celebrent, & quomodo, & an tempore concionum.

An in eorum oratorio diebus feſtiuis dicatur miſſa, vel officium defunctorum.

An frequentent ſcholas, deſides moneantur, ſi non reſipuerint, de ſocietate eijciantur.

An habeant Capellanum, & quis eum conſtituerit.

An confeſſiones audiat, & de cuius licentia.

An ipſi confratres in ipſorum Parochia Paſchatis tempore euchariſtiam ſumant, an vero in oratorio Confraternitatis.

An vocati ad proceſſiones accedant.

An eleemoſynas inter confratres colligant pro ſuccurrendo pauperibus infirmis Confraternitatis.

An ſepulturę fratrum defunctorum interueniant, & pro illis orent.

An habeant aliquas reliquias, & quænam ſint, & quomodo teneantur.

Vide-

Videbuntur postea libri orationum, an in ipsis aliquod falsum, cōmentitium, aut apocryphum sit.

PRO VISITATIONE Hospitalium.

Visitabuntur postea Hospitalia, & in primis videbitur.
Quomodo gubernentur, & quis modus sit regiminis.
An regantur per officiales temporales, aut perpetuos.
An ipsi officiales sint personæ infames, vel criminosæ, an vero pię, & quæ charitatiue pauperibus ministrent.
An infirmis presto sint.
An in istis locis ea negligantur, quæ ad salutem animarum spectant.
An de sacramentorum administratione ipsis pauperibus, & ægrotis prouideatur.
An post animæ medicum corporis etiam medicus adhibeatur.
An habeant Capellanum, & quis eum constituerit.
An confessiones audiat, & de cuius licentia.
Qui in dicto Hospitali recipiantur, an infirmi, & pauperes, an validi, & qui aliundè sibi victum quærere possint.
An in ijs recipiendis præferantur personæ piæ peccatoribus.
Videbitur etiam fundatio ipsius Hospitalis, si adest, & videatur, an sustineantur onera ipsi Hospitali in fundatione apposita.
Videatur etiam, an per aliquos dicta Hospitalia possideantur, & quo titulo.
An ibi hospitalitas exerceatur.
An fœminę stent in loco à masculis separato.
An aliquis bona Hospitalis occupet.
An aliquæ factæ fuerint alienationes bonorum Hospitalis.
Si adest Hospitale pro recipiendis infantibus expositis, interrogentur prefecti ipsius, quomodo gubernetur, quæ bona habeat, & quomodo administrentur.
An ibi receptus sit aliquis filius diuitis alicuius, qui possit filium suum alere, & cogatur recipere filium suum, refectis prius expensis per Hospitale in eo alendo factis.
An nutricibus ipsorum infantium neceßaria ministrentur.
An sit aliquis sacerdos deputatus ad baptizandum dictos infantes, qui sit, & de cuius licentia officium illud exerceat, & quomodo eis sacramentum

baptismi

baptismi ministret.

An adsint tot nutrices, quæ infantium numero alendo sufficiant.

Quomodo ipsi infantes teneantur.

Post hæc videantur computa eorum Hospitalium, & quomodo dispensentur redditus ipsorum.

An singulo anno rationem suæ administrationis Reuerendissimo Domino Episcopis pro tempore reddiderint.

Demum moneantur, vt ea omnia peragant, ad quæ vigore suæ administrationis tenentur.

PRO VISITATIONE
Montium pietatis.

Visitabuntur postea Montes pietatis, & primo videbitur.

Quis modus sit regiminis.

Quinam sint officiales, per quos constituantur.

An habeant aliqua statuta.

Quis ea fecerit, & à quo confirmata fuerint.

An obseruentur per eos, ad quos spectat.

Deinde examinabuntur bona ipsorum Montium, & inuentarium ipsorum inquiretur.

An pecuniæ ipsorum Montium accommodentur pauperibus, pro quorum commoditate instituti sunt dicti Montes, an vero mutuentur diuitibus, & sub quo colore, an adsit aliquod Breue summi Pontificis, & exhibeatur.

An officiales dictorum Montium sint personæ piæ, & quæ patienter ferre sciant importunitatem pauperum.

An reddiderint rationem Reuerendissimo pro tempore Episcopo.

An pecuniæ deponantur penes ipsos Montes.

An aliquid soluatur ipsis deponentibus, & cuius auctoritate id fiat.

An ipsi exigant ab ijs, qui dant pignora, & quantum ratione centenarij.

Inquiratur etiam, quomodo teneantur pignora.

An in loco, in quo corrumpi possunt, vel à furibus tolli, eaque Reuerendissimus Dominus diligenter per eos, ad quos spectat, custodiri mandabit, ipsosq; administratores rationem suæ administrationis sibi reddere faciet.

PRO

PRO VISITATIONE SEMINArij,& aliarum ſcholarum Clericorum.

*P*Rimo videbitur, an ſeruentur ordinationes Seminarij, ſiquæ adſunt.
An clerici ſingulo die miſſæ ſacrificio interſint.
An ſingulo menſe confiteantur, & iuxta iudicium confeſſoris Eucbariſtiam ſumant.
An aliqui ſint diſcoli.
An aliqui ſint conuictores, & ſuis ſumptibus alantur.
An ea omnia obſeruent, quæ alij Clerici ipſius ſeminarij obſeruare tenentur.
An acuti, vel obtuſi ſint ingenij.
In quot claßes ſint diuiſi.
An doctrinam, gramaticam, cantum, & computum Eccleſiaſticum doceantur.
Quænam ſit familia, quæ ipſis deſeruiat, an boneſta, & bonæ conuerſationis.

De Magiſtris ipſorum requiretur.

*A*N profeſſionem fidei fecerint, quod etiam in omnibus Magiſtris Ciuitatis obſeruandum eſt vigore conſtitutionis Sanctiſſimi Domini Noſtri Pij Quarti.*
Quos libros doceant, an laſciuos, & obſcęnos, an vero ſpirituales.
Cuius ętatis, & conuerſationis ſint.
De alijs etiam officialibus ſcholarum inquiretur.
An omnes diligenter munia ſua obeant, ne expenſæ ipſius ſeminarij inutiles reddantur.

Pro viſitatione bibliothecarum, aut bibliopolarum.

*P*Oſtremo viſitandæ erunt bibliothecæ, inquirendumque erit.*
An ſeruetur canon. ſeß. 4. concilij Trident. videlicet.
An adſint libri venales de rebus ſacris ſine nomine auctoris.
An vendantur, vel ibi teneantur libri aliqui ex ijs, qui in Indice probibiti ſunt.

Inuentarium etiam omnium librorum requiretur, vt prædicta discussio fieri possit.

An bibliopolę huiusmodi libros impresserint, vel per alios imprimi curauerint, & si in hoc aliqui reperiantur abusus, corrigantur iuxta disposita in dicto canone.

CIRCA VISITATIONEM reliquiarum, quæ est supra ad car. 158. addantur infrascripta. Circa aquam benedictam erunt infrascripta requirenda.

AN sit in ingreßu Ecclesiæ intra ianuas.

An vas lapideum subleuatum, & mundum.

An aqua munda, & debitis temporibus renouata.

An in vase sit aliqua inscriptio gentilium, & tollatur.

An benedicatur in Sacristia cum superpelliceo, & stola.

An singulis Dominicis fiat aspersio, & benedictio.

An Parochus eam adhibeat in sepulturis, exequijs, & benedictionibus.

An aspergantur domus in hebdomada sancta, & quis sit modus aspergendi, & aduertatur, ne aliquis irrepserit abusus.

An populo declaret, cur aqua benedicta teneatur in Ecclesijs, & in cubiculis, & cur adhibeatur in benedictionibus, & exequijs, quæ uis sit ei, & quis vsus, & aduertatur, ne quis ea ad superstitiones vtatur, &c.

EDI-

EDICTVM, SIVE INDICTIO pro Diœcesana synodo habenda die . . . mensis . . . . . .

N. *Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus.* M. R. (*hic ponatur nomen primæ dignitatis*) N. *Ecclesiæ nostræ Cathedralis, nec non alijs dignitates in dicta Ecclesia obtinentibus Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ, alijsq; quomodolibet in dicta Ecclesia Beneficiatis, nec non vniuersis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Presbyteris, Plebanis, Rectoribus, Parochisq; omnibus etiam exemptis, qui alias cessante exemptione synodo interesse deberēt, nec Capitulis generalibus subduntur, cæterisque, quos infrascriptum tangit negocium quomodolibet, vel in futurum tangere potest, vel qui ex consuetudine dictæ synodo interesse debent, salutem in Domino sempiternam.*

Nostri Pastoralis officij memores, quo ad continuam solicitudinem super grege nobis concredito habendam, tam quo ad dirigendos subditos nostros in viam salutis, quam quo ad corrigendos malorum, atque improborum excessus quotidie monemur, nō possumus non ea omnia intentare, per quę morum reformationi, ac abusuum correctioni, eorumq; extirpationi consultum fore credamus, ad quæ omnia peragenda Patres nostri, & præsertim in sacrosancta Tridentina Synodo congregati optimum remedium esse duxerunt synodos, ac congregationes facere, in quibus de moderandis moribus, & componendis controuersiis agatur. Ideo nos decretis prędicti concilij inhærentes decreuimus nostram Diœcesanam synodum die . . . mensis . . . . . celebrare pro reformandis, ac emendandis abusibus, excessibusq; corrigendis, ac controuersijs componendis. Quare vos omnes supradicto s, & quemlibet vestrum monemus primo, secundo, & tertio, ac peremptorio termino, canonicaq; monitione præmissa, quod dicta die in mane in Ecclesia sancti. N. *huius Ciuitatis à nobis ad hunc actum electa cum superpelliceis adesse debeatis dictæ synodo interfuturi, recepturi quicquid à nobis in dicta synodo Domino inspirante circa bonum regimen Ciuitatis, ac Diœcesis prædictæ, & circa reformationem morum, abusuumq; extirpa-*

tionem, controuersiarumque compositionem decretum fuerit, alijaq; dicturi, & facturi, quæ in huiusmodi synodo dici, & fieri consueuerunt. Si vero aliquis vestrum legitime fuerit impeditus, excusatorem legitimum ad nos mittere curet, qui de ipso impedimento doceat, alias vobis non comparentibus, nec legitimè vos excusantibus, nos pro debito officij nostri contra vos, & quemlibet vestrum sic contumaciter absentem procedemus, prout iustitia suadebit, ordoq; dictauerit rationis vobis aliter non citatis, nisi in valuis patentioribus Ecclesiæ nostræ Cathedralis. Monemus etiam vos omnes, & singulos supradictos vt nec etiam in itinere, quod synodi causa huc facturi estis, neque vero hic item, ab ea viuendi frugalitate, sacerdotali modestia, atque grauitate, quam vos præstare decet, discedatis, sed tum exemplum fidelibus afferatis vt, monet Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate, tum à Deo nobis omni animi pietate, sacrificijs, precibus, ac ieiunijs auxilium implorare studeatis. In quarum rerum fidem has literas nostras, nostriq; Cancellarij manu signatas confici, sigilloq; nostro muniri, & promulgari, cathedralisq; nostræ Ecclesię cæterarumq; collegiatarū, ac Parochialiū, Aediumq; Episcopaliū valuis publice affigi iussimus, quam affixionem habere eam vim volumus, ac si vobis singulis, quorum interest, illæ illatæ, ac denunciatæ essent Dat. ex Palatio nostro Episcopali die . . . . . .

Ordo Synodi.

Congregatis clericis in Ecclesia Cathedrali, & celebrata missa de spiritu sancto per Reuerendissimum Dominum, habitoq; sermone ad Clerum per Reuerendissimam Dominationem suam, expeditisq; alijs in huiusmodi actione expediendis iuxta ritum libri Pontificalis, Notarius seu alius deputatus ascendat Vmbonem, ibiq; dicat infrascripta verba.

Reuerendi Patres, cum propter temporis breuitatem vnicuiq; vestrum forsan locus proprius in sedendo in hac synodo assignari non potuerit, ideo Reuerendissimus Dominus Episcopus ad tollendas omnes difficultates statuit, & decreuit, quod si in hac synodo contigerit aliquem in proprio loco non sedere, aliquos ve alios actus ea durante facere, nulli propterea præiudicium generetur, nouum ve ius acquiratur, sed omnia in eodem statu permaneant, in quo ante præsentem synodum reperiebantur.

Moneat postea notarius Clerum in hunc modum.

DE mandato Reuerendissimi Domini Episcopi monentur omnes, & singuli huic synodo intereßentes, vt tam in synodo, quam extra synodum in domibus, & extra domos honeste se habeant, & ita se gerant, vt eorum conuersatio cæteris merito sit in exemplum, qui contrafacere ausus fuerit, grauiter pro arbitrio ipsius Reuerendissimi Domini Episcopi punietur.

Deinceps notarius dicat in hunc modum.

QVia Reuerendi Patres querelæ hic essent audiendæ, siquæ sunt, quæ si hic audirentur, Synodus multum differri poßet in graue animarum damnum propter absentiam Rectorum à suis Ecclesijs, ideo Reuerendissimus Dominus Episcopus ad audiendas huiusmodi querelas deputauit, & constituit RR. DD. . . . . . qui prædictas querelas vna cum suo Vicario audient, & decident, & quatenus opus erit, ipsi Reuerendissimo Domino referent, qui ergo aliquid exponere contra aliquem voluerit, hora . . . . in camera prædicti R. D. Vicarij compareat iustitiæ complementum recepturus.

Postea notarius dicat infrascripta verba.

CVm inter cætera decreta à Sacrosancta Tridentina synodo statutum fuerit, vt in qualibet Diœcesana synodo omnes, & singuli habētes, & obtinentes beneficia Ecclesiastica, & qui in synodo Diœcesana interuenire debent, ea omnia, & singula, quæ a dicta Tridentina synodo statuta, & definita sunt palam recipiant, nec non veram obedientiam summo Pontifici Romano spōdeāt, & profiteātur, simulq; omnes hereses a sacris canonibus, generalibusq; cōcilijs, presertimq; ab ipsa sacra Tridentina synodo damnatas publice detestentur, & anathematizent, vt continetur in decreto sub sess. 25. c. 2. de refor. cuius tenor talis est, &c.

Hic legatur decretum Concilij, quod incipit.

1 Cogit temporum calamitas. Et legatur vsq; ad versiculum ad hæc.

Quo

Quo lecto notarius sequatur dicens.

IDeo Reuerendissimus Dominus Episcopus noster volens prędictum decretum, debitæ, vt par est, executioni in hac synodo demandare precipit omnibus,& quibuscunq; huic synodo interessentibus, qui in præcedentibus synodis prædicta decreta nō receperunt, vt statim quilibet pro prædicti decreti executione debeat recipere omnia definita, & statuta per ipsum sacrosanctum Tridentinum Concilium, & in manibus eiusdem Reuerendissimæ Dominationis suę recipere, spondere veram obedientiam Romano Pontifici, profiteri, detestari,& anathematizare omnes hęreses, vt in dicto decreto continetur.

Mandatq; propterea prædictis omnibus, vt bini, & bini ante Reuerendissimam Dominationem Suam accedentes recipiant, spondeant, profiteantur, detestentur,& anathematizent, vt supra.

Modus autem peragendi hæc sit infrascriptus.

REuerendissimus Dominus interroget semel Clerum per hæc verba.

Recipitis, promittitis, spondetis, profitemini, detestamini, anathematizatis prout in decreto continetur.

Tunc primo digniores accedentes bini, & bini ad ipsum Reuerendissimum Dominum genuflexi legant cedulam, quam eiusdem Reuerendissimi Domini Capellanus in manibus teneat tenoris infrascripti.

Recipimus, promittimus, spondemus, profitemur, detestamur, & anathematizamus, vt in decreto continetur.

Interim notarius describat nomina profitentium, vt notitia eorum, qui non fuerint professi, haberi possit; post emissam prædictam professionem, notarius legat potestationem huiusmodi sub tenore videlicet.

DE mandato Reuerendissimi Domini Episcopi notificatur vobis omnibus, & singulis, qui ad hanc synodum non vti titulares ecclesiarum, sed tanquam Vicarij temporales accessistis, quod obedientia, quam in hac actione exhibuistis, hac lege, & conditione admißa fuit, & admittetur, vt nihil remißum intelligatur, quin contra titulares legitimè non impeditos, qui huic synodo non interfuerint, & quorum nomine huc accessistis, procedi possit, & debeat iuxta formam sacrorum Canonum, & presertim sacri concilij Tridentini.

Notarius postea sequatur, & dicat.

QVoniam in eodem sacrosancto Tridentino concilio sub seß. 25. c. 10. de refor. statutum fuit, vt in qualibet Diœcesana synodo, quotannis ab Episcopo designentur aliquæ personæ, quæ qualitates, & conditiones habeant requisitas iuxta Constitutionem Bonifacij Octaui, quibus præter ordinarios locorum causæ Ecclesiastice, & spirituales ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur; cuius decreti tenor est huiusmodi &c.

Quoniam ob malitiosam. Et legatur totum. Tenor autem Constitutionis Bonifacij est talis. Statutum, quod circa. Et legatur totum.

Notarius sequatur.

IDcirco Reuerendissimus Dominus noster Episcopus pro executione dicti decreti confisus de probitate, moribus, & sufficientia R R. D D. N N. cognoscensque ipsos habere à iure statutas qualitates, eos proponit ab hac synodo approbandos ad cognoscendum causas in hac Ciuitate, & Diœcesi committendas, quatuorq; ex ipsis, qui plura suf-

fragia

fragia reportauerint,erunt Iudices causarum sic committendarum, hortans ipsos,qui approbati fuerint, vt quanta fieri possit breuitate causas terminare,ac decidere studeant, litigatorumq; artibus indifferenter earum expeditione occurrant.

Modus autem approbandi,vel fiat viua voce , vel si synodo hoc non placuerit, per vota secreta fiat in hunc modum.

Tradantur fabæ albæ,& nigrę singulis Clericis synodo intereßentibus ; & vniuscuiusq; ex nominatis sigillatim fiat scrutinium , & quatuor ex his, qui plura suffragia reportauerint,erunt deputati ad causas audiendas,& notabuntur per notarium , quia eorum nomina postmodum erunt transmittenda ad sanctam Sedem Apostolicam iuxta dispositionem , & decretum eiusdem sacri concilij Tridentini.

Deinceps notarius dicat.

QVia in eodem sacrosancto Tridentino Concilio sub.seß.24.c.18.statutum fuit in qualibet Diœcesana synodo eligi,& deputari debere ad minus sex personas idoneas,quę clericos illos examinent,quibus Parochiales Ecclesię erunt conferendę , vt in dicto decreto latius continetur , cuius tenor est huiusmodi.

3 *Expedit maxime. Et legatur totum.*

Quo lecto notarius sequatur dicens.

IDcirco Reuerendissimus Dominus Episcopus noster confisus de probitate, moribus , & sufficientia. R. R. D D. N. N. eos vobis proponit , vt approbari , vel reprobari possint , sicut spiritus sanctus suggesserit,& huic sacrę synodo videbitur expedire,sex enim ex nominatis,qui plura suffragia reportauerint vsque ad synodum sequentem,examinatores erunt clericorum,qui ad Parochiales Ecclesias in Ciuitate, & Diœcesi existentes erunt assumendi.

Quo facto vel approbantur viua voce per synodum omnes illi nominati,vel saltem sex ex illis,vel si magis placuerit per suffragia secreta illos approbare, seruetur ordo suprascriptus in electione Iudicum.

Facta electione examinatorum nominentur per notarium,qui fuerunt electi,& approbati,eisq; intimetur,si sunt præsentes,vt statim in manibus Reuerendissimi,

dissimi Domini Episcopi iurent ad sancta Dei euangelia genuflexi se quacunque humana affectione postposita munus suum fideliter executuros, & per notarium notetur delatio istius iuramenti.

Quo peracto notarius dicat.

IN eodem sacro Tridentino Concilio sub sess. 23. c. 1. de refor. statutum fuit in qualibet synodo Diœcesana singulis annis habenda publicari debere tam decretum illud de residentia sub Paulo Tertio, quam etiam sub Pio quarto editum, idcirco volens Reuerendissimus Dominus dispositionem dicti decreti debitæ executioni demandare, iussit dicta decreta in hac synodo legi, vt omnibus innotescant.

4 Quorum decretorum tenor est, &c.

Illud sub Paulo Tertio sess. 6. c. 1. de refor. est huiusmodi.

Eadem sacrosancta synodus. Et legatur vsque ad tertium Capitulum eiusdem sess. exclusiue.

5 Decretum vero sub Pio quarto de eadem materia loquens sub sess. 23. c. 1. de refor. quod incipit.

Cum præcepto. Et totum legatur.

Quo lecto si erunt aliqua decreta noua per Reuerendissimum Dominum confecta, quæ in synodo publicari debeant, hic publicentur, his præmissis verbis.

Quia Reuerendissimus Dominus Episcopus tam in visitatione, quam extra visitationem quædam inuenit, quæ prouisione synodali indigent pro bono regimine huius Ciuitatis, & Diœcesis, ideo volens officium suum exequi, & corrigenda corrigere, ac emendanda emendare, de salubribusq; decretis prouidere, ideo fecit infrascripta decreta per omnes, ad quos spectat, obseruanda, quæ hic legi, & publicari mandauit huiusmodi sub tenore, &c.

Et legantur decreta, si aliqua sunt, si vero nulla facta fuerint decreta noua, hæc pars erit ommittenda.

Hic etiam legentur bullæ summorum Pontificum, quæ de eorum mandato in synodo publicandę sunt.

Quo facto, quia forsan hora erit tarda, tunc intimetur sessio alia pro illa die, & hora, quæ placuerit R. D.

Et intimatio fiat per notarium, & rogetur.

Qua intimatione facta promotor surgat, & dicat.

Ego N. huius sacræ synodi promotor indignus rogo vos supradictos notarios hic præsentes, vt de omnibus, & singulis in hac sessione peractis vnum, vel

plura conficiatis instrumentum, vel instrumenta.

Et sic dimittitur sessio cum benedictione Reuerendissimi Domini

Die. . . . *secunda, & vltima sessio.*

Cum magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum fuerit, vt atrociora quaedam, & grauiora crimina non à quibus vis, sed à summis tantum sacerdotibus absoluerentur, neque dubitandum sit, quin hoc Episcopis *omnibus in sua cuiq;* Diaecesi *liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, idcirco Reuerendissimus* Dominus Episcopus *noster absolutionem ab infrascriptis casibus sibi reseruat, probibens omnibus, & singulis, ac quibuscunque Confessarijs, ne quemquam nisi in articulo mortis constitutum ab ijs absoluere praesumant, sed id vnum poenitentibus persuadere nitantur; vt ad Reuerendissimam* Dominationem Suam, *seu ad eius Vicarium generalem, vti legitimos Iudices pro beneficio absolutionis, accedant.*

Casus autem sunt infrascripti. Et legantur casus reseruati.

Deinde *notarius habens cedulam, in qua descripta sint nomina omnium Rectorum beneficiorum, sacerdotum Ciuitatis, & Diaecesis, omniumque aliorum synodo interesse debentium ipsos nominatim vocet, qui respondeant per verbum adsum, pariterq; non interessentes notet, vt possit contra eos procedi, prout sacri Canones disponunt.*

Quo facto surgat Dominus *promotor, & accuset contumaciam absentium, si qui fuerint absentes, in hunc modum.*

Reuerēdissime Domine. *Cum per edictum generale Reuerendissimae* Dominationis *Vestrae publicatum sub die* . . . . *mensis* . . . . *omnes, & singuli, qui de iure, seu consuetudine huic synodo Diaecesanae interesse debent moniti, & requisiti fuerint, vt die in illo edicto praescripta in hac synodo adessent pro ijs tractandis, publicandis, & recipiendis, quae ad huius cleri reformationem magis necessaria essent, & ex dispositione sacrorum Canonum, & praecipuè sacri Tridentini* Concilij *in Diaecesana synodo tractari, & publicari debent, nonnulliq; illi edicto non parentes adeo contumaces, & negligentes extiterint, vt neque in hac synodo ipsi comparuerint, nec ad se excusandum, quatenus legitimo detenti essent impedimento, procuratorem idoneum miserint, ideo pro muneris mei officio ego. N. huius sacrae synodi promotor*

motor Fiscalis indignus eorum contumaciam accusando instò per Reuerendissimam D. V. ad vlteriora deueniri, ac committi citationem ad valuas Ecclesiæ Cathedralis affigendas, vt omnes ij, qui de iure, seu de consuetudine huic sacræ synodo interesse debebant, nec ei interfuerunt, neque se, quominus legitime abessent, excusarunt die . . . . mensis . . . . coram Reuerendissima D. V. compareant ad videndum se tanquam inobedientes puniri iuxta formam iuris, & sacrorum Canonum.

Deinde Reuerendissimus Dominus Episcopus dicat,

Admittimus, & committimus.

Posteaque facta aliquali morula subiungat dicens.

Reuerendi fratres post gratias Deo peractas ite in pace.

Tunc surgat promotor, & dicat.

EGo N. huius sacræ synodi promotor indignus rogo vos notarios suprascriptos hic præsentes, vt de omnibus, & singulis in hac, & præcedenti sessione peractis vnũ, vel plura cõficiatis instrumẽtũ uel instrumẽta

Quo dicto Magister Cantus præintonari faciat Te Deum laudamus.

Et dum cantatur, dirigatur processio per Ecclesiam, omnibusq; ad sua loca reuersis, finito Te Deum laudamus, Reuerendissimus Dominus Synodum bene dicat, in paceq; dimittat, postea notarius præcipiat omnibus, & quibuscunq; clericis synodo interessentibus, vt antequam discedant, consuctum Cathedraticum in manibus N. soluere debeant.

Officiales creandi pro synodo Diœcesana celebranda, eorumque deputatio debet fieri ante inchoationem synodi.

PRimo deputetur aliquis pro arbitrio Reuerendissimi Domini, qui sit promotor, seu fiscalis ipsius synodi.

Deinde deputetur aliquis custos synodi, cuius munus erit introducere clericos ad synodum, parare loca pro ipsa synodo, nec non tradere fabas pro suffragijs secretis, quatenus opus sit, clericis existentibus in ipsa synodo, & alia peragere, quæ in synodo erunt necessaria.

Deputetur etiam aliquis, qui habeat curam introducendi eos, qui volunt expo-

nere querelas contra aliquem coram deputatis ad querelas audiendas.
Postremo deputetur notarius pro arbitrio Reuerendissimi Domini, qui legat decreta, & alia legenda in ipsa synodo.

Paranda pro expeditione synodi.

PRimo paretur locus in choro cum sedilibus pro ijs, qui in synodo interesse debent.
Item paretur cedula legenda à profitentibus, detestantibus, & anathematizantibus cum his verbis intelligibilibus.
Recipimus, promittimus, detestamur, & anathematizamus, vt in decreto continetur.
Quæ cedula teneatur per capellanum a dextris ipsius Reuerendissimi Domini assistentem.
Paretur etiam cedula, in qua descripta sint nomina omnium, & quorumcunq; synodo interesse debentium, vt possint vocari per notarium, seu per alium ad legendum decreta deputatum.
Item parentur fabæ albæ, & nigræ distribuendæ clericis, si placeat, per secreta suffragia fieri electionem Iudicum, & examinatorum.

Forma citationis supra decretæ contra non comparentes poterit fieri infrascripto modo.

DE mandato Reuerendissimi Domini . . . . instante D. N. promotore synodi, citentur omnes, & singuli infrascripti, qui synodo N. sub die . . . mensis . . . . celebratæ non interfuerunt, neque legitime si excusarunt, prout tenebantur, iuxta Seriem intimationis de ordine ipsius Reuerendissimi Domini præsentatæ in Terris, & locis Diœcesis N. ad personaliter comparendum die . . . mensis . . . . & causam legitimam allegandum, quare non debeat declarare ipsos incidisse in pœnas iuris, & sacrorum Canonum iuxta seriem dictæ intimationis, &c. alias &c. In fidem &c. Dat. &c.
Hic ponantur nomina eorum, qui non comparuerunt.
Deinde affigatur citatio valuis Ecclesiæ, & notetur relatio affixionis.

Postmodũ adueniente die præscripto in citatione prædicta cõpareat promotor, seu fiscalis, & instet contra eos, qui non comparuerint, vt infra, die.......

Comparet personaliter coram Reuerendiß. D. V. N. promotor fiscalis sacræ Synodi in termino sibi competenti, &c. & reproducendo eius comparitionem sub die . . . factam, ac citationem denuo affixam in valuis Ecclesiæ Cathedralis contra omnes, qui sacræ dictæ Synodo non interfuerunt, &c. & petijt, ac instetit contra ipsos contumaces procedi iuxta seriem dictæ suæ comparitionis; &c. & ita, &c. omni meliori modo, &c.

Qui Reuerendiß. Dominus, &c. existens, &c. visis, & auditis prædictis, declarauit omnes, qui Synodo N. celebratæ sub die . . . . . non interfuerunt, neque se legitime excusarunt, incidisse in omnes pœnas iuris, & sacrorum Canonum, &c. & intimari mandauit omni meliori modo, &c. præsentibus . . . .

EDICTVM PRO CELEBRANDA synodo prouinciali.

IN nomine sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis patris, & filij, & spiritus sancti. Amen.

N. Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus N. vniuersis prouinciæ nostræ fidelibus salutem in Domino.

Qui animarũ curæ duce spiritu sancto pastores præfecti sunt, ita in eorũ munere vigiles, ac soliciti esse debent, vt in ijs, quæ ad ipsarũ animarum salutẽ procurandã spectant, illorũ ministeriũ nulla ex parte desideretur, cumq; in his potissimum semper locum obtinuerit prouincialium Conciliorum actio per patres in synodo Tridentina ad sacrorum Canonũ præscriptum, tertio quoq; anno restituta, pro ea, quã populis fidei nostræ cõmissis debemus, sancta solicitudine voluimus prouinciæ nostræ Episcopos literis ad vnũquemq; illorũ datis in nostram Metropolitanã N. Ecclesiã ad Conciliũ euocare, huiusq; inchoandi certã præscribere diem, quæ erit . . . mensis . . . proxime sequẽtis. Vt autem hoc idem cæteris omnibus, qui poßunt, debent vè de iure, vel de consuetudine, aliquo vè priuilegio eidem intereße, innotescat, peruulgeturq; apud omnes eiusdem Concilij iam Episcopis significata indictio, & ne cuiquam ignorantia ad excusationem prosit, et nullus se contemptum, neglectũ vè in hoc negocio dicere valeat, ijs ipsis vniuersis, & singulis, cæterisq; qui sua interesse, quauis ratione putauerint, illis etiam, qui liberi sunt, atq; exẽpti, quiq; nullius Diœcesis intra prouinciæ nostræ fines continẽtur, præsentiũ tenore illud idẽ significamus, indicimus, & denũciamus, iubemusque illos ipsos

omnes

omnes, & singulos, qui intereße debent, huc in Concilio ad eam constitutam diem conuenire sub illis pęnis, & censuris, quæ à sacris Canonibus ea de re decretæ sunt. Monemus præterea, & enixè rogamus omnes prouinciæ nostræ fideles, quatenus assiduis precibus illud à Deo misericordiarum patre precentur, vt quæcunque ad Ecclesiasticam disciplinam restituendam accommodata, neceßariaq; sunt, ea sine vllis hæsitationibus ad eiusdem Dei gloriam vnanimiter decernamus. In quorum omnium fidem has manu nostra, & sigillo firmatas in vulgus publice proponi voluimus.

Datum N. in Archiepiscopali Palatio nostro die . . . .

Literæ dirigendę Reuerendissimis Episcopis pro intimatione Concilij prouincialis.

Reuerendissime Domine mi obseruandissime.

Ad diem . . . . . ex Tridentini Concilij auctoritate prouincialem nostram synodum N. indiximus. Quare Ampl. T. requirimus, & monemus, vt ad eam constitutam diem N. in nostram Metropolitanam Ecclesiam conuenire non prætermittat, vbi ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei huiusmodi synodum celebrabimus, quod si forte aliqua iusta necessitas impedierit, quominus id munus personaliter præstet, prætermissi officij causam, & rationem ad nos scribat, interim tamen certum aliquem legitimum procuratorem mittat, qui nomine tuo quæcunq; in eadem synodo decreta fuerint recipiat. Illud etiam ab A. T. petimus, vt literas nostras, quibus Ecclesiæ tuæ Canonicos ad eamdem Synodum inuitamus, reddendas curet, qua de re nos per scripta, instrumenta ve publica certiores faciat. Omnipotens Deus eamdem A. T. diutius incolumem conseruet.

Dat. N. . . . . . die . . . . .

Vt frater N. Archiepiscopus . . . N.

Literę suprascripta de causa Capitulis dirigendę.

Cum ex sacrosancti Concilij Tridentini præscripto nostram prouincialem synodum habere decreuerimus ad diem . . . . . vobis id his nostris significare voluimus, vos inuitantes, vt ad dictam constitutam diem, si placuerit, per legitimos procuratores adesse poßitis, deducturi, quæ pro Ecclesiæ vestræ bono regimine expedire iudicaueritis, aliaq; dicturi, &

ri, & facturi, quæ vobis ex sacrorum canonum præscripto ea in actione com petere dignoscuntur, nos enim alacri, ac prompto animo vestrum quemlibet recipiemus, Interim vero rogamus vos, vt omnipotēti Deo vestris orationi bus nos, totamque Synodum commendare non desistatis. Valtee in Domino.

Modus obseruandus in celebratione Concilij prouincialis.

A*Genda in prima Congregatione generali.*

Peractis cęremonijs consuetis, secretarius dicat.

Qui Reuerendissimos Patres, & eorum capitula ad synodum vocarunt, accedant, & relationes faciant, quæ penes acta huius sacræ synodi con signentur.

Tunc per notarios consignentur relationes secretario, vt postmodum penes acta deponantur.

His relationibus, & consignationibus factis, secretarius dicat.

Siquis habet aliquid dicendum, & proponendum in synodo dicat, & proponat.

Tunc siquæ scripturæ producantur, recipiantur per secretarium.

Quo facto, Archiepiscopus dicat, admittimus, si & in quantum.

Quæ scripturæ postmodum consignentur per secretarium notarijs, qui in eis no tent diem productionis, & postea dictas scripturas finita congregatione de ferāt deputatis ad scripturarum visionem, vt eas videant, an sint legitimæ & postea synodo referant.

Hoc peracto, si adesset aliquis Episcopus extraneus, qui peteret ex gratia admitti ad votum decisiuum in Concilio, secretarius dicat.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis admittere ex gratia ad dandum votum decisiuum in hac sacra congregatione R. N.

Et facta huiusmodi interrogatione accedat cum notarijs, & cęremoniarum magistro ad Archiepiscopum primo, deinde ad alios Patres iuxta eorum præcedentiam, & accipiat vota in voce, & postea illa referat Archiepiscopo, dicendo, omnibus placuit.

Postmodum Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, quod Reuerendissimus N. *in hac synodo ex gratia admittatur ad votum decisiuum, quapropter gratiæ sunt agendæ* Deo.

Tunc Patres respondeant, Deo *gratias.*

Postea secretarius nominet deputandos ad causas excusationum cognoscendas hoc modo.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, quod ad cognoscẽdas excusationes absentiũ, an legitimæ sint, deputentur RR. N. & N. qui causas ipsas examinent, & postea synodo referant, & de hoc conficiatur decretum.

Tunc accipiat vota, vt supra, & referat Archiepiscopo, dicendo, omnibus placuit.

Et Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, ideo gratiæ Deo agendæ sunt.

Tunc Patres respondeant, Deo gratias.

Quo facto, secretarius iterum interroget Patres in hunc modum.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, vt ad audiendas accusationes, & querelas contra quoscunq; in hac sacra synodo deferendas deputentur RR. N. & N. ad audiendum vero querelas, siquæ contra prædictos N. & N. deferentur, quod deputentur N. & N. qui dictas querelas audiant, & synodo referant, & de hoc conficiatur decretum.

Deinde accipiat vota, & referat, vt supra, dicendo, omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, quare Deo gratiæ sunt agendæ.

Patres respondeant, Deo gratias.

Quo facto secretarius dicat.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis ad tollendum omne præiudicium, quod in hac synodo, tam in sedendo, quam in alijs actibus, ea durante celebrandis alicui generari poßet, quod conficiatur huiusmodi decretum.

Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus de consilio, & aßensu Reuerendissimorum DD. Coepiscoporum suorum statuit, & decreuit, quod si in hac synodo contigerit aliquem proprio in loco non sedere, aut incedere, alios vè quoscunque actus ea durante facere, ne propterea alicui præiudicium generetur, nouum vè ius acquiratur, sed omnia in eodem statu permaneant, in quo ante hanc synodum reperiebantur.

Quo lecto secretarius accipiat vota, & referat, vt supra, dicendo, Decretum omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, Decretum omnibus placuit, ideo Deo gratias agamus.

Patres respondeant, Deo gratias.

Tunc Secretarius moneat omnes dicens.

Omnes exeant de Congregatione præter Reuerendissimos Patres, & Procuratores absentium, & alios, qui synodo intereße debent, & claudatur ianua.

Interim Patres inter se proponant, quicquid eis proponendum occurrit, sed tunc præsertim inter eos est discutiendum, quænam decreta Concilij Tridentini legenda sint in sessione, & circa modum emittendi professionem fidei.

Siquid per Patres deliberatum fuerit, secretarius illud pronunciet, & notarij

rogentur

rogentur de ijs , quæ ibi fient, nam de ijs, quæ in sessione facienda erunt, sufficit rogitus ibi faciendus.

Postea secretarius interroget Patres in hunc modum.

Reuerendiss. Patres, Placet ne vobis, quod in proxima futura sessione legantur decreta tam Concilij Tridentini, quam alia, quæ modo audistis.

Tunc accipiat vota, & referat, vt supra, Archiepiscopo, dicendo, omnibus placuit.

Archiepiscopus vero dicat, omnibus placuit, ideo agamus gratias Deo.

Patres respondeant, Deo gratias.

Tunc secretarius interroget Patres super sessione pro mane diei sequentis celebranda in hæc verba.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, quod proxima sequens sessio cras summo mane in Ecclesia Metropolitana celebretur, & quod singulis diebus fiãt congregationes secretæ in Camera cubiculari Illustr. & Reuerendissimi D. Archiepiscopi, & in hac aula fiant publicę diebus mercurij, & sabbati hora . . . qua hora sit vnicuiq; liberum, siquid in dicta congregatione referre voluerit.

Qua interrogatione facta, secretarius accipiat vota, & referat Archiepiscopo, dicens, omnibus placuit.

Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, gratias Deo agamus.

Patres respondeant, Deo gratias.

Postremo antequam Patres exeant de congregatione, secretarius moneat in hunc modum.

Reuerendissimi Patres, Meminerint DD. VV. in sequentibus congregationibus deferre nomina aliquorum, quos idoneos nouerint ad exercendum munus testium synodalium, vt in vltima sessione possint dicti testes constitui pro vnaquaq; Diœcesi iuxta dispositionem sacrorum canonum.

Postremo Reuerendissimi Patres recedant cum simplici benedictione, & sub vesperum pulsentur campanæ pro signo sessionis futuræ, & idem etiam obseruetur pridie aliarum sessionum.

Agenda in prima sessione.

F*Inito sermone habẽdo per Archiepiscopum ad Patres, completisq; alijs cæremoniario ad præscriptum Pontificalis, secretarius præcedente cæremoniaris medius inter duos notarios synodales accedat ad Archiepiscopum, & deinceps manu prius deosculata accipiat decretũ inchoationis*

concilij, paratumque vmbonem ascendat, & illud legat huiusmodi sub tenore.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis ad laudem, & gloriam sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, patris, & filij, & spiritus sancti pro moderandis moribus, corrigendisq; excessibus, & controuersijs componendis, atq; pro cæteris a sacris Canonibus permissis peragendis prouinciale concilium N. incipere, & inceptum eße.

Quo dicto descendat, & Patrum vota accipiat iuxta ordinem superius in Congregatione dictum, & referat Archiepiscopo, dicens, Decretum omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus alta voce dicat, Decretum omnibus placuit, ideo gratiæ Deo sunt agendæ.

Patres respondeant, Deo gratias, & notarij rogentur.

Deinceps de manu ipsius Archiepiscopi, vt supra, deosculata accipiat alia Decreta videlicet de deputatione Iudicũ tam pro querelis, quã pro excusationibus, & de præiudicio sedendi, & non discedendo ante finem concilij, nec non de legendis decretis Concilij Tridentini, & ascendat vmbonem, vt supra, ea que legat sub tenore, quo confecta fuerint.

Quibus lectis descendat, accipiat vota, vt supra, & referat Archiepiscopo, qui dicat Decreta omnibus placuerunt, gratias Deo agamus.

Patres respondeant, Deo gratias.

Deinceps secretarius de manu eiusdem Archiepiscopi accipiat librum Concilij Tridentini, & ascendat vmbonem, vt supra, & legat decreta de residentia, & alia, quæ à Patribus in Congregatione ordinata fuerunt, præmittendo tamen hæc verba.

Cum per sacrum Tridentinum Concilium decretum fuerit in qualibet prouinciali synodo publicari debere decreta de residentia, tam sub fœl. rec. Paulo tertio, quã Pio quarto, Illustr. & Reuerẽdiss. D. Archiepiscopus de consilio, & assensu Reuerendissimorum DD. Coepiscoporum mandauit ea hic publice legi sub hoc tenore &c.

Et legantur dicta decreta integra.

Quibus lectis, si alia decreta fuerint ex ordine Patrum legenda, tunc ea secretarius legat dicens.

Illustr. et Reuerẽdiß. D. Archiepiscopus de cõsilio, & assensu, vt supra, mãdauit etiam infrascripta eiusdem Concilij decreta legi huiusmodi sub tenore &c.

Et legantur præmittendo semper ad principium cuiuslibet decreti summarium ipsius, vt puta sequitur Decretum de immunitate Ecclesiæ, & similia.

Quibus lectis secretarius dicat.

Quia

Quia etiam in eodem Concilio Tridentino seß. 25. c. 2. de refor. disponitur in hæc verba Cogit, & legatur usq; ad Vers. cæteri.

Quo lecto subiungit secretarius.

Illustr. & Reuerendiß. D. Archiepiscopus volēs hoc decretū in prouinciali hac synodo executionem habere, decreuit de consilio, & assensu Reuerendissimorū DD. Coepiscoporum professionem fidei, & receptionem, vt in decreto continetur, nunc ab ijs patribus fieri, qui in superiori synodo illam non fecerunt. Professio autem fiet ad præscriptam formam in literis fœl. rec. Pij quarti.

Quo dicto Archiepiscopus genuflectat ante altare, habens librum Euangeliorum super faldistorio, tenensq; manus super illum legat alta voce dictam formam extensè, pro vt iacet.

Qua lecta surgat, & sedeat super faldistorio, habens ante se librum Euangeliorum.

Tunc cæteri Episcopi, qui in præcedenti synodo professionem fidei non emiserūt, ante ipsum Archiepiscopum genuflexi tenentes manus super dictum librum Euangeliorum faciant dictam professionem sub breuiori formula, de qua in tabella ceremoniario tradita, & notarij rogentur.

Emißa professione per Patres secretarius descendat, & de manu Archiepiscopi accipiat listam Episcoporum, & aliorum de iure, vel de consuetudine synodo interesse debentium, & modo, quo supra ascendat vmbonem, & dicat.

Nunc vocabuntur Reuerendissimi Patres, qui huic synodo N. intereße debēt, qui respondeant adsum.

Mox nomina eorum legat.

Promotor vero habeat aliam listam consimilem, notetq; nomina non respondentium adsum.

Nominatione facta ipse promotor cum notarijs accedat ante Illustrissimum D. Archiepiscopum, ibique accuset contumaciam absentium, petatq; in hunc modum.

Illustr. et Reuerendiß. D. Cū per literas monitoriales, & per edictum generale Illustr. & Reuerendiß. D. V. omnes Episcopi prouinciæ N. & reliqui, qui de iure, seu consuetudine huic sacræ prouinciali synodo intereße debent, moniti fuerint, vt hodierna die in hac synodo adeßent pro eius celebratione iuxta formam sacrorum Canonum, & præsertim sacri Tridentini Concilij ad moderandos mores, corrigendos exceßus, & controuersias componendas, quæ in hac prouincia, moderatione, correctione, & compositione indigent, nonnulliq; monitorialibus literis, ac edicto non parentes adeo contumaces, ac negligentes extiterint, vt neque ad hoc sacrum Concilium ipsi præsentes adfuerint, neque ad se legitime excusandum nuncium miserint, idcirco pro mune-

ris mei officio ego N. huius sacræ synodi promotor eorum contumaciam ac cusando instò apud Illustr. & Reuerendiß. D. V. vt ad vlteriora contra eos procedi iubeat, procedendoq; citationem ad valuas huius Ecclesiæ affigendam committat, vt omnes, qui de iure, seu consuetudine huic sacræ synodo interesse debent, eiq; nō interfuerunt neq; se, quamobrem nō interfuerint, legitime excusarunt, die . . . . coram Illustr. & R. D. V. compareant ad videndum se tanquam inobedientes, & contumaces puniri iuxta formam iuris, & sacrorum Canonum.

Hoc facto Archiepiscopus dicat, admittimus, & committimus.

Deinceps secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decretum Indictionis futuræ sessionis, & modo, quo supra ascendat vmbonem, & interroget Patres hoc modo.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, vt proxima futura sessio habeatur die . . . . quæ erit dies . . . . ita tamen vt eiusdem sessionis terminus in generali congregatione abbreuiari, & prorogari liberè poßit, sicut huius sacræ synodi progreßui magis expedire videbitur.

Tunc descendat, accipiat vota, vt supra, & referat Archiepiscopo dicens, omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, quare Deo gratias agamus.

Patres respondeant, Deo gratias.

Postmodum promotor stans antè Archiepiscopum roget notarios in hanc formam.

Ego N. huius sanctæ synodi promotor rogo vos notarios hic præsentes, vt de omnibus, & singulis in hac seßione peractis vnum, vel plura conficiatis instrumentum, vel instrumenta.

Tunc notarij adhibitis testibus rogitum faciant, & deinceps omnes discedant.

Agenda in secunda congregatione generali.

Expeditis cæremonijs secretarius dicat.

Siquis habet aliquid dicendum, & proponendum in synodo, dicat, & proponat.

Tunc audiantur, qui volent in congregatione audiri, & si aliquid productum fuerit, recipiatur per secretarium, & notarijs consignetur, & seruetur ordo in præcedenti congregatione traditus.

Quo facto secretarius dicat.

Omnes exeant de congregatione præter Reuerendiss. *Patres, & procuratores absentium, & claudatur ianua.*

Interim Patres inter se proponunt, quæ fuerint proponenda, & præsertim legantur decreta, quæ publicanda erunt insequenti sessione.

Quibus lectis secretarius interroget Patres hoc modo.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, decreta, quæ modo audistis crastina die in publica sessione legi?

Tunc accipiat vota, vt supra, & referat Archiepiscopo, dicens omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, ideo gratiæ sunt agendæ Deo.

Patres respondeant, Deo gratias.

Vltimo secretarius moneat Patres circa nominationem testium synodalium modo infrascripto.

Reuerendissimi Patres, Placeat DD. *VV. in sequentibus congregationibus deferre nomina testium synodalium, vt possint in vltima sessione constitui pro singulis quibuscunque Diœcesibus iuxta sacrorum Canonum dispositionem.*

Postremo recedant Reuerendissimi Patres cum simplici benedictione, aliaque fiant, vt in fine primæ congregationis.

Agenda in secunda sessione.

Completis ceremonijs secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decreta synodi legenda, ascendat vmbonem modo, quo supra, & ea legat. Quibus lectis descendat, vota accipiat, & Arciepiscopo referat dicẽs, Decreta omnibus placuerunt.

Tunc Archiepiscopus dicat, Decreta omnibus placuerunt, gratias Deo agamus.

Patres respondeant, Deo gratias.

Postea secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decretum Indictionis futuræ sessionis, ascendatq; vmbonem, & illud legat huiusmodi sub tenore videlicet.

Reuerendissimi Patres, Placet ne vobis, vt proxima futura sessio habeatur die . . . . . quæ erit dies . . . . . ita tamen, vt eiusdem sessionis terminus in generali congregatione abbreuiari, & prorogari libere possit, sicut huius sacræ synodi progressui magis expedire videbitur.

Tunc descendat, accipint vota vt supra & referat Archiepiscopo dicens, omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, ideo gratias agamus Deo.

Patres respondeant, Deo gratias.

Deinceps

Deinceps promotor stãs ante Archiepiscopum roget notarios in hanc formam.

Ego N. huius sanctæ synodi promotor rogo vos notarios hic præsentes, vt de omnibus, & singulis in hac sessione peractis vnum, vel plura conficiatis instrumentum, vel instrumenta.

Tunc Notarij adhibitis testibus faciant suum rogitum, & postea omnes discedant.

Agenda in tertia Congregatione generali.

Expeditis ceremonijs, secretarius dicat.

Siquis habet aliquid dicendum, & proponendum in synodo, dicat, & proponat.

Tunc audiantur, qui in synodo audiri volunt, & si producantur scripturæ, per secretarium recipiantur, & consignentur notarijs, vt in prima Congregatione.

Deinceps secretarius dicat.

Omnes exeant e Congregatione præter Reuerendissimos Patres, & procuratores absentium, & claudatur ianua.

Interim Patres inter se proponunt, siquid alicui videbitur proponendum, legaturq; residuum decretorum publicandorum in sequenti sessione.

Quo facto Secretarius legat decretum de testibus synodalibus tenoris infrascripti.

Cum prouide in sacro Lateranensi concilio sub Innocentio tertio celebrato certis propositis pœnis statutum fuerit, vt in qualibet prouinciali synodo certæ, idoneæ, & honestæ personæ statuantur, quæ quasi testes synodales simpliciter, & de plano, ac sine vlla iurisdictione, quæ in Diœcesi eis commissa digna correctione, & reformatione reperiunturinquirãt, & ea fideliter postea referant ad Metropolitanum, & suffraganeos, ac alios in synodo prouinciali subsequẽti cõgregatos, idcirco Illustr. & Reuerẽdiss. Dominus Archiepiscopus de consilio, & assensu Reuerendiss. DD. Coepiscoporum suorum volens contenta in dicto decreto, vti par est, exequi in testes synodales pro vnaquaque Diœcesi prouinciæ suæ nominat infrascriptos.

Tunc Secretarius habeat listam, in qua descripta sint nomina delata pro testibus synodalibus, & nominet testes in hunc modum.

Pro ciuitate, & Diœcesi N. & N.

Et sic pronunciet de singulis, seruato tamen ordine prærogatiuæ, & præcedentiæ Episcoporum, vt scilicet primo digniores nominentur.

Hoc

Hoc peracto Secretarius legat Patribus decretum finis Concilij tenoris infrascripti.

Reuerendissimi Patres, Cum ea, quæ pro celebratione, & absolutione huius prouincialis N. Concilij agenda erant, iam Domino adiuuante, peracta, & absoluta sint, placet ne vobis, vt ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei eidem synodo finis imponatur.

Quo lecto secretarius interroget Patres in hunc modum.

Reuerendissimi Patres, Placet nè vobis, decreta, quæ modo audistis, in publica sessione legi, quæ crastina die fiet.

Mox accipiat vota Patrum, vt supra, & referat Archiepiscopo, dicens, omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, omnibus placuit, ideo gratiæ agendæ sunt Deo.

Patres respondeant, Deo gratias.

Postea Illustrissimus Dominus Archiepiscopus interroget R. Patres, an sibi placeat, quod decreta confecta, quæ forsan lingua minus eleganti conscripta sunt, elegantiori conscribantur stylo, seruata tamen sententia, licet verba mutentur.

Et si placuerit Patribus, Notarij *conficiant rogitum de beneplacito illorum.*

Et tunc recedant omnes in pace cum simplici benedictione.

Agenda in tertia sessione.

F*initis cæremonijs secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decreta, quæ superfuerunt legenda in præcedenti sessione, ascendat vmbonem, & ea legat ordine suprascripto.*

Quibus lectis descendat, accipiat vota, vt supra, & referat Archiepiscopo, dicens, decreta omnibus placuerunt.

Tunc Archiepiscopus dicat, decreta omnibus placuerunt, ideo gratias agamus Deo.

Patres respondeant Deo *gratias.*

Quibus expeditis iterum de manu Archiepiscopi accipiat decretum de testibus synodalibus, & listam eorum, qui nominati fuerint pro qualibet Diœcesi, & ascenso vmbone decretum legat tenoris, de quo supra in eadem Congregatione.

N*ominatione testium facta secretarius dicat.*

Testes nominati, qui sunt præsentes, accedant ad Illustr. D. Archiepiscopum ad præstandum iuramentum de fideliter implendo munus suum.

Tunc

Tunc accedant testes bini, & bini ad Archiepiscopum, quibus ante eum genuflexis dicat hæc verba descripta in tabula, quam ceremoniarius ante ipsum teneat, & habeat ante se Euangelia.

Iurate vos fideliter munus vestrum impleturos, vereque vos ad sanctam synodum omni remoto affectu, & cupiditate relaturos ea, quæ omni indagatione, & inquisitione à vobis adhibita in vestra ciuitate, & Diœcesi N. emendatione digna aut videritis, aut ad aures vestras peruenerint.

Tunc ipsi tenentes manus super librum Euangeliorum respondeant ex scripto in alia tabula iurantes in hunc modum.

Iuramus nos fideliter munus nostrum impleturos, vereque ad sanctam proximam synodum omni remoto affectu, & cupiditate relaturos, quæ omni diligentia à nobis adhibita in Ciuitate, & Diœcesi N. emendatione digna viderimus, aut ad aures nostras peruenerint, sic nos Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Et idem iuramentum sub eadem forma præstent designati pro vnaquaque Diœcesi, sufficit tamen, quod Archiepiscopus præmittat interrogationem, de qua supra, ad primos duos tantum.

Hoc facto, si aliqui ex testibus designatis essent absentes, propterea q; illis iuramentum deferri non posset, tunc secretarius moneat in hunc modum.

Reuerendissimi Patres, quoniam aliqui ex testibus designatis absentes sunt, & propterea iuramentum de fideliter exercendo munus suum præstare non possunt, idcirco Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus mandat omnibus, & singulis Episcopis hic præsentibus, nec non absentium procuratoribus, vt quamprimum vnusquisque ipsorum ad propriam reuersus fuerit Ecclesiam, iuramentum sub eadem forma testibus pro sua Diœcesi constitutis præstent, de eoque per suas literas certiorem facere Illustr. D. S. ne prætermittant.

Hoc peracto promotor accedat ad Illustr. D. Archiepiscopum, & accuset contumaciam absentium, si qui tamen fuerint absentes, & instet his verbis.

Illustr. & Reuerendiss. D. Cum aliqui prouinciæ N. Episcopi, qui huic sacræ synodo interesse debebant, adeo contumaces, & negligentes fuerint, vt moniti ab Illustr. D. V. quod ad hanc synodum venirent, id facere neglexerint, cumque Deo approbante huius sacræ synodi finis instet, & ideo in ea contra hos contumaces iure, & legibus, prò temporis angustia agi non possit, idcirco pro officij mei necessitate ego N. huius sanctę Synodi promotor iterum eorũ contumaciam accusando insto, vt Illustr. & R. D. V. committat Reuerendissimis DD. Episcopis ad absentium causas cognoscendas electis, vt quam primum

primum ad harum causarum expeditionem procedant, eosq; negligentes, & contumaces pœnis à iure statutis puniant, & corrigant.

Tunc Archiepiscopus dicat, committimus iuxta petita.

Deinceps promotor similem faciat instantiam pro expeditione querelarum, & accusationum, siquæ delatæ fuerint, & nondum expeditæ sub his verbis.

Illustr. & Reuerendiss. Domine, Cum etiam nonnullæ querelarum, & accusationum causę ob varias difficultates terminari adhuc non potuerint, propterea ab eadem Illustr. & R. D. V. peto, vt per Iudices iam electos eas quam primum ex sacrorum Canonum, iurisq; pręscripto terminari iubeat.

Tunc Archiepiscopus dicat committimus, ac mandamus iuxta instita.

Deinceps secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decretum finis Concilij, ascendat vmbonem, vt supra, & illud legat sub tenore, de quo supra, in tertia congregatione.

Quo lecto descendat, accipiat uota, vt supra, & referat Archiepiscopo, vt supra dicens, decretum omnibus placuit.

Tunc Archiepiscopus dicat, decretum omnibus placuit, ideo prouinciali huic synodo finem facimus, & iam factum esse decernimus gratiasque Deo omnes agamus.

Tunc Patres respondeant Deo gratias.

Deinde, si placet, fiant acclamationes per Patres.

Quibus finitis omnes Episcopi recipiantur ad osculum pacis per Archiepiscopum.

Quo peracto Archiepiscopus Patres alloquatur in hunc modum, si placet.

Quia spiritu sancto duce, quæ ad prouincię nostræ reformationem pertinere cognouimus, vnanimi, sicut oportebat, consensu iam decreuimus, reliquum modo est Reuerendissimi Patres, vt ex ijs, quæ salubriter Dei in primis gratia iuuante instituta sunt, propriam vnusquisq; nostrum studeat docere, & informare Diœcesim, vt per horum, & aliorum piam obseruationem populi curæ nostræ concrediti ad æternam gloriam peruenire mereantur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in sęcula sęculorum Amen.

Quo dicto, & allato libro decretorum nouiter in synodo factorum ad altare maius cum calamo ad subscribendum, secretarius de manu Archiepiscopi accipiat decretum de subscriptione, ascendat vmbonem modo, quo supra, illudq; publicet huiusmodi sub tenore.

Illustr. & Reuerendiss. D. Archiepiscopus admonet omnes Reuerendissimos Patres, ne discedant, nisi prius huius prouincialis synodi decretis se subscripserint, mandatque procuratoribus absentium, vt antè eorum discessum à

civitate N. decreta ipsa suscipiant, eisq; Episcoporum suorum nomine se subscribant.

Tunc omnes ordine se subscribant.

Tunc promotor roget notarios dicens.

Ego N. huius sacræ synodi promotor rogo vos notarios hic præsentes, vt de omnibus, & singulis in hac sessione peractis vnum, vel plura conficiatis instrumentum, vel instrumenta.

Notarij vero faciant rogitum de prædictis.

His peractis dirigatur processio illius solum modo cleri, qui in Ecclesia reperitur, & vadat circa Ecclesiam ordine suprascripto, & dum processio progreditur, cantores solemniter canant Te Deum laudamus.

Quo finito, & cunctis in chorum reuersis, depositis mitris, cunctis astantibus Illustr. Archiepiscopus dicat orationem, vt in Pontificali.

Postea detur solemnis benedictio, & publicentur indulgentiæ, & tunc Archidiaconus dicat, recedamus in pace.

Deinceps deponantur paramenta, & omnes reuertantur ad propria.

Paranda pro celebratione prouincialis Concilij.

PRimo honorifice paretur camera cubicularis Illustrissimi Archiepiscopi, vel alia ipsius arbitrio pro habendis secretis Congregationibus cum mensa, & sedilibus pro Reuerendissimis Patribus, & alijs interesse debentibus, sedilia autem Episcoporum debent esse diuersa à sedilibus aliorum ministrorum.

2 Paretur etiam aula Palatij Archiepiscopalis, vel alia, prout commodius fieri poterit pro habendis congregationibus generalibus cum sedilibus coopertis pro RR. DD. Episcopis, & scamnis pro alijs interesse debentibus.

3 Paretur Ecclesia peristromatis, & Chorus, vt honorificentius poterit, pro sessionibus publicis, paretur altare maius, & per Chorum sternantur tapetes, & parentur etiam sedilia cooperta pro Reuerendissimis Patribus, & scamna pro alijs interessentibus, quæ disponantur, prout qualitas loci suadebit, sedesq; Archiepiscopi sit in loco emminentiori, ex quo possit commode verba ad Patres habere, cum occasio tulerit.

4 Parentur scabella septem cum suis coopertuis pro ministris altaris, & assistentibus in missę sacro, & in synodo.

5 Parentur duæ tabellæ affigendę, altera ad ianuam aulę congregationum generalium, altera ad valuas Ecclesię maioris, quibus intimetur dies, & hora

hora congregationum generalium, quæ fieri poterit sub hac forma videlicet.

Hodie hora . . . . in ędibus Archiepiscopalibus in aula apparata erit generalis congregatio RR. DD. Episcoporũ, qui ad prouincialem synodum conuenerunt, cuius rei significandę causa dabitur in Ecclesia Metropolitana per dimidiam horam signum sono campanę maioris, qua stata hora erit vnicuiq; liberum, siquid in dicta congregatione referre voluerit.

6 Paretur alia tabella pro intimandis sessionibus publicis affigenda valuis Ecclesiæ maioris, quæ intimatio fieri poterit sub hac forma videlicet.

Crastina die hora . . . . in Ecclesia Metropolitana peracto missæ sacro, quæ solemniter celebrabitur, erit publica sessio RR. DD. Episcoporũ, & aliorum, qui ad prouinciale concilium conuenerunt.

7 Paretur alia tabella, in qua describatur formula breuior professionis fidei emittendæ per RR. Patres in manib. Archiepiscopi, cum sufficiat per Archiepiscopum tantum legi formulam illam longiorem, de qua in Bulla Pij quarti, & hęc formula breuior conscribatur arbitrio ipsius Archiepiscopi.

Formula breuior professionis fidei emittendę per Reuerendiss. Patres vt supra est videlicet.

EGo N. Episcopus N. cõstitutus corã vobis Illus. D. Archiepiscopo profiteor iuxta formã modo per Illustr. D. V. extense lectã, & ita spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei euangelia.

8 Parentur etiam aliæ duæ tabellę, in quarum altera describatur interrogatio per Archiepiscopum facienda testibus synodalibus in delatione iuramenti, in altera vero sit formula iuramenti præstandi per eosdem testes synodales, prout habetur supra in sessione tertia.

9 Paretur liber euangeliorum pro deferendis iuramentis, quæ in synodo præstari debent.

10 Paretur suggestum in Choro, & ornetur, in quo legantur decreta, & alia legenda, & intimanda in sessionibus.

11 Prouideatur etiam de paramentis rubeis Pontificalibus pro missis solemnibus decantandis in sessionibus per vnũ ex RR. Patribus, prouideatur etiã de pluuialibus rubeis pro RR. Patribus, dum in sessione permanserint.

12 Ornetur sacristia, & prouideatur de paramentis necessarijs, & decentibus pro celebratione, vt sacerdotes, qui ad Concilium venerint, possint celebrare, si voluerint.

13 Paretur musica decens pro missis, & alijs diuinis officijs solemniter celebrandis.

14 *Pridie cuiuslibet sessionis sub vesperum pulsentur campanę solemniter Ecclesiæ Metropolitanæ, & aliarū etiā Ecclesiarum ciuitatis, si placuerit.*

Personę deputandæ pro synodo prouinciali.

PRimo deputentur saltem duo notarij, qui acta synodi conscribant.

Deputetur vnus, vel plures pro magnitudine prouinciæ, qui literas intimatorias synodi deferant ad Reuerendiß. Patres & alios synodo interesse debentes, & inuitandos, qui postea in prima congregatione generali referant, vt in ea dictum est.

Deputetur aliquis Iurisperitus, qui sit promotor synodi.

Deputetur aliquis idoneus, qui sit secretarius synodi, & decreta, aliaq; in sessionibus legenda legat, & vota accipiat, vt in eisdem sessionibus dictum est.

Deputetur aliquis, qui linguam latinam caleat, cuius ea sit cura negotia proponenda Patribus suggerere, & referre, siquis in Congregatione generali audiri voluerit, & obtenta à Patribus facultate eos introducat.

Deputetur aliquis, qui ex debito ad synodum venientes in libro ad hunc vsum parato describat.

Deputetur vnus, vel plures Iurisperiti, qui mißorum, ac mandatorum facultates examinent, & publica documenta videant, & referant RR. Episcopis deputatis ad cognoscendas excusationes absentium.

Deputentur etiam aliqui idonei ad videndas querelas, siquę dabuntur, qui postea referant RR. Patribus deputatis.

Deputentur saltem duo custodes loci sessionum, & Congregationum, ne strepitus, alia vè impedimenta afferantur, illorum etiam cura erit, dum congregationes generales habebuntur, ad ianuam aulæ permanere, & siquis in congregatione audiri voluerit, id deputato significare, qui petita à Patribus facultate illos introducat.

Prouideatur etiam de cęremoniario idoneo, qui semper assistat, & præsertim in sessionibus, eaque peragat, quæ in eisdem sessionibus ipsi præscripta sunt, & præcipue in accipiendis votis, ipsius etiam cura sit consignare sedes omnibus, & si locorum difficultas emerserit, Illustr. Archiepiscopus consulatur.

Prouideatur etiam saltem de duobus nuncijs, qui intiment, & vocent Patres ad congrrgationes secretas.

Prouideatur etiam de tot personis idoneis, quę in singulis sessionibus orationē ad synodum habeant, nisi forte R. celebrās ipsā habere vellet, quod certe melius foret.

Prouideatur etiam de duobus saltem insignibus concionatoribus, qui durante synodo singulis diebus alternatim ad populum concionem habeant.

OB-

OBSERVANDA
IN TRANSLATIONE, SEV repositione reliquiarum sacrarum.

PRimo per aliquot dies ante translationis diem publicetur dies ipsa translationis in loco, & alijs circumuicinis regionibus, vt clerus, & populus frequens ad translationem, seu repositionem conueniat.

2 *Aliquot etiam diebus ante translationem, seu repositionem ipsarum reliquiarum sacrarum significetur id populo frequenti campanarum sono, praecipue in Ecclesia, ad quam fieri debet translatio, seu repositio.*

3 *Praecipiatur per publicum edictum, diem translationis, seu repositionis tanquam festum saltem de manè ab omnibus in loco pie, ac religiose coli.*

4 *Pridie ipsius translationis sub vesperum in omnibus Ecclesijs, nedum loci trāslationis, seu repositionis, sed aliorū etiā vicinorū significetur ipsa trāslatio seu repositio populo solemni campanarum sono, vt in celebrioribus anni solemnitatibus fieri consueuit.*

5 *Eodem die in vesperi reponantur reliquiae super altare maiori, vel in alio loco decenti arbitrio superioris in Ecclesia, à qua transferri debent, recteq; componantur, adhibeanturq; saltem sex lumina, dum ibi permanserint.*

6 *Eodem die indicatur, & obseruetur ieiunium saltem à clero illius Ecclesiae, in qua reponi debent reliquiae, moneaturq; etiam paternè populus, vt illomet die ieiunare velit.*

7 *Nocte praecedente translationem, seu repositionem, fiant vigiliae à clericis in Ecclesia, vbi asseruantur reliquiae, & dictae vigiliae fiant alternatim, prout superior iusserit.*

8 *In eadem nocte ab eodem clero canatur nocturnum officium pro illis sanctis, quorum translatio fit, & si sint plures sancti, quorum officium diuersum sit, poterit de omnibus cani officium loco vigiliarum.*

9 *Mane diei translationis instituatur solemnis processio ab Ecclesia, a qua recipiuntur reliquiae ad Ecclesiam, ad quam fit translatio, fiatq; dicta processio ordine debito.*

10 In eadem proceßione canantur psalmi, hymni, & aliæ preces accommodatæ ad laudem sanctorum illorum, quorum fit translatio.

11 Antequam reliquiæ ex altari amoueãtur, thurificentur per Episcopum, si adest, sin minus per digniorem sacerdotem intereßentium.

12 Lumina deferantur in processione per clerum, & populum in competenti numero.

13 Deferantur ipsæ reliquiæ humeris per sacerdotes digniores, & sacris vestibus indutos, qui semper capite stent aperto.

14 Si adest Episcopus, ipse reliquias gestet, si possit solus, alioquin vna cum digniori, vel saltem in egressu ab Ecclesia, à qua transferuntur, humeros arcæ subijciat, quod itidem faciat in ingressu ad Ecclesiam, ad quam transferuntur.

15 Si reliquiæ sint in vasculo, quod per vnum tantum deferri debeat, semper deferatur per digniorem, seruatis alijs, de quibus supra.

16 Super arcam reliquiarum deferatur vmbella, si adest, & id munus præstetur per Magistratum loci translationis.

17 Arcam ipsam præcedant duo acoluthi semper reliquias thurificantes.

18 Si Episcopus præsens sit translationi, & arcam non deferat, eam tamen proxime subsequatur cum alijs laudes, & hymnos dicens aperto capite.

19 Vbi ventũ sit ad Ecclesiam, in qua reponendę sunt reliquiæ, canatur mißa de sanctis, quorum fit translatio, seu repositio, idq; munus præstetur vel per Episcopum, si præsens adsit, vel per alium sacerdotem digniorem eius iußu.

20 Inter missarum solemnia, vel post celebrationem ipsarum habeatur sermo in laudem sanctorum ipsorum, & translationis, per Episcopum, vel aliũ eius arbitrio.

21 Completa mißa, & sermone ostendantur reliquiæ populo, qui eas piè, ac religiosè veneretur.

22 Postmodum ponantur in loco decenter parato, vbi per illam diem stent accensis saltem sex luminibus, vt populus per totam diem eas venerari possit.

23 Ad ipsarum custodiam, dum in dicto loco permanent, adhibeantur duo sacerdotes cum superpelliceis, qui coronis precatorijs, quæ eis per populum porrigentur, arcam religiose tangant.

24 Sub occasum solis ab Episcopo, seu sacerdote loci digniore recondantur reliquiæ in loco destinato.

25 In illis recondendis canantur psalmi, hymni, & aliæ preces, quę de ipsis sanctis sunt, idque peragatur per vniuersum clerum ipsius loci.

26 Thurificentur postea per Episcopum, seu sacerdotem digniorem.

27 *Recondantur postea in loco parato, ad quas sic reconditas Episcopus, seu sacerdos dignior aliquantulum oret.*

27 *Notarius postea de prædictis omnibus publicum conficiat Instrumentum.*

29 *Ad locum etiam, vbi reconditæ sunt reliquiæ, apponatur memoria rei, prout gesta est.*

30 *Sacrista deinceps negocium totius rei gestæ in librum ad hunc vsum paratum referat.*

31 *Postremo Episcopus, si adest, populum benedicat, in paceq; dimittat.*

Sit laus Deo patri, eiusque Gloriosissimæ Genitrici, &c.

FINIS.

REGESTVM

¶ ¶¶ ¶¶¶ ¶¶¶¶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb.

Omnia sunt folia integra.



MVTINAE MDCVI.

Excudebat Io. Maria de Verdis Curiæ, Episcopalis Thypographus.

AD LECTOREM.

NE mireris benigne Lector in hoc Episcoporum Catalogo plura priuilegiorum exempla descripta fuisse, nam cum multa dictorum priuilegiorum documenta deperdita fuerint in graue Ecclesiæ damnum, timens ne etiam, quæ hic descripta sunt, deperirent, libuit ea hic describere, vt ipsorum memoria saltem in hoc Catalogo perpetuo conseruaretur. Cui etiam præcipuas Episcoporum functiones addidimus, vt cognoscere valeas, in quibus se potissimum exercuerunt dicti Patres, ac Pastores nostri. Tu, quod actnm est, boni consule, & Deum pro me orare digne[illegible], & Vale.

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Catalogo continentur.

B

Ciuitas

D

E

Pani-

F

Guliel-

H

I

Inno-

patus

Lau-

¶¶¶¶ Mi-

stiam

Vido

Habuit

FINIS.